

05

A

338





EXAMEN APOLOGETICUM
CASTIGATIONIS CALIXTINÆ

institutum

Pro Disputatione De DEO UNO

VIRI

Max. Reverendi, Amplissimi atq; Excellentissimi

DN. JOHANNIS *Deutschmann* /


S. S. THEOL. D. & Prof. Publ. in celeberrima Leucorea
celeberrimi, Alumnorum Elect. Ephori Graviss-
simi, h. t. DECANI.

M. CAROLO LUDOVICO
Stromeyer / Ulmensi,

Ovvenus.

Nec TE dicentis moveat reverentia, sed quid
dixerit, attendas qua ratione probet.

1. Tim. VI. 3. 4.



WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS BORCKARDI. Acad. Typogr.

Anno M. DC. LXVIII.



05 AVO 338



Epistola Præliminaris ad Virum Max. Rev. Ampl atq; Excell.
Dn. Frid. Ulricum Calixtum, S. S. Theol. D.
& in Academia Julia Prof. Ord. Senatus Eccl. Guelf.
Consiliarium.

Mirabere forsitan, Excellent. Vir, quî fiat, quod ego inferioris subsellii homo, nullis in Remp. literariam meritis, nullis ornamentis hucusq; commendatus, atq; forte ne nomine quidem Tibi notus, audeam gravissima Tua interpellare negotia publica. Et ipse sane miror, me idipsum à me impetrare potuisse, qui alias in alloquendis Viris in Eminentia constitutis, qualem Te quidem novimus esse, satis verecundus. Scire itaq; TE velim, me non temerè, sed à magnis viris, & de Ecclesia Jesu Christi præclarè meritis, ipsius quoq; veritatis studio ad id officii impulsus esse. Et occasione quidem *Tuæ Castigationis absurde*, uti quidem Tibi videtur, *Novitatis Excell. Dn. D. Deutsch. oppositæ*. Dicitur non potest quanta cum veneratione, postquam videndi ejus copia mihi data est, eandem primum aspexerim. Reputabam mecum Te non sine causa, neq; malo animo corripere voluisse tantos Viros, qui humani quid sint passi, & amore quidem in viam rectitudinis eosdem reducendi idipsum egisse, *Augustini Præsulis dicti memorem, amando debemus corripere, non nocendi aviditate, sed studio corrigendi. Si peccaverit in Te frater Tuus, quare illum corripis? quia doles quod peccavit in TE. Si amore Tui id facis, nihil facis: si amore illius, optime facis.* Et sperabam, ut ingenue fatear, nescio qua tacita animi expectatione, omnia bona de TE. Unde avidissimis, ut sum veritatis amantissimus, mox eandem perlustravi oculis, iisq; non præoccupatis. Bono me animo esse jubebant statim in limine Castigationis reperta nomina, quæ boni quid ominari videbantur. Primum n. optatissimam pacem; alterum incredibilem Humanitatem; Tertium deniq; atq; paternum, singularem mansuetudinem atq; comitatem promittebat. Theologi nomen Te causam Dei pro virili acturum videbatur innuere. Et cum sise ejusdem Doctor, *ὡς λόγιος* *Θεὸς* Te locuturum mihi pollicebar. Eoq; magis intentis oculis,

A 2

saga

De Verb.
Dom. Ser.
XVI.

lagaciq; mente inspiciebam, quod in celebri Julia ordinarium
Professorem Te agere intellexeram, unde ex omni antiquitate
instructissimum, per V. priora secula elegantissimo ordine dedu-
ctum apparatus me videre posse gaudebam. Et quod ultimo
loco animum erigere, attentumq; reddere poterat, omnino Te
audiendum existimavi, cum hujusmodi sis, qui aliis in rebus per-
plexis, atq; à vulgi oculis, animisq; paulo remotioribus consilia
dare studiose perdidicerit. Quod si jam à minore quolibet non
refugiendam vel dedignandam esse correctionem judicavit S. Hip-
pon. Praesul: par omnino atq; æquum fuerit Talem Virum, qua-
lem Te esse audimus, æquo admittere animo, eidemq; assurgere,
si saniora præsertim suppeditaverit, non minori (suo quidem ju-
dicio) Theologo solum, sed & Seni catissimo, prudentissimoque
Magnifico Domino D. Calovio. Sed ut insperata sæpius accidunt,
quam quæ speres; ita & me misere elusum sensi. Nam ut Phœ-
drus ait

fato invido

Carbonem, ut ajunt, pro Thesauro invenimus.

Non solum enim TE insultanter arguere, & acerbissime repre-
hendere, sed & Dei causam ceu rem nihili ac levissimam tractare
deprehendi. Cum enim *Magnificus atq; Amplissimus Vir Dn. D.*
Calovius, cujus laus magna est in Ecclesia; Eiusdemq; Gener *Ex-
cellentissimus Dn. D. Deutschmannus* exactius viam Dei exponere
Tibi, & ad frugem revocare, bono voluerunt animo, horribilem
in modum utriusq; famam imminuere non dubitasti. Et illum
quidem *Calumniantium Patriarcham, Hereticem*; hunc v. *Myste-
rificem*, utrumq; *Rixatorem* infando calamo traduxisti. Sed ô vos
beatos quum probra jecerint in vos, & insectati fuerint & dixerint
omne malum verbum adversus Vos, mentientes, propter me Matth.
V. II. Tu vero, Dom. D. ignosce, si aperto ore dicam quod res est,
talem hoc in negotio TE præstiisti, ut vix oculis meis crediderim
à TE, Theologo, & Doctore insuper, eoq; studio Bonorum ope-
rum flagrantissimo, hanc scriptionem adornatam fuisse, adeo o-
mnia profanam mentem ostendunt. Declarasti hoc ipso uni-
verso orbi iracundiam menti Tuæ non subesse, sed præesse; neq;
invi-

invidia cor Tuum vacuum esse ex turpissimo *Ἰνιδία* Vir-
rio, quod quidem remotissimum ab omni homine, nedum Chri-
stiano Theologo Doctore esse debebat, colligimus. Testem v. hu-
jus consecutionis advocamus ipsum *Philosophum*, nullarum par-
tium studiosum, is *L. II. Rhet. c. IX. ita: ο γδ αὐτὸς ἔστιν Ἰνιδία*
καὶ φθονεργός. Sed quoniam horum Virorum famæ non mul-
tum nocuisti, tuæ vero pessime consuluisti, condonabimus Tibi
hæc talia, neq; laudem acerbi Castigatoris invidemus, reputan-
tes Te hominem fuisse, & ex ingenio humano scripsisse, quod
nunquam non labitur & errat: neq; fieri etiam potest, ut omnia
semper laudanda scribamus, reprehendenda nunquam. Scimus
animis etiam cœlestib; iras esse. Nec infrequens est aliis consilia
dare velle, domi vero non sapere. Id vero intolerabile jure me-
ritoq; censetur, rem tam seriam, tamq; gravissimam, quæ ipsius
Dei venerabilem concernit majestatem, & fidei momenta, levi
adeo pede & superficialitatenus tractari, & oratione non nisi ad ri-
sum movendum composita describi! *Fides est oculus*, eleganter a-
licubi Theophylactus scribit, *longeq; facilius ladi potest quam ocu-
lus, ideog; instar pupillæ oculi sanctè custodiri debet*. Unde cautè,
castigatè, modeste totam de Deo notitiam tractandam Magnus no-
ster *Chemnitio* pie ac prudenter monuit. Non igitur jure, opinor,
mihi succensere poteris, *Vir Excellentissime*, si scita Tua, non inge-
nii quidem fiducia, sed amore veritatis, Academica *παρηγορία* in
Timore Domini examinavero, an ex Deo sint? Scio equidem gra-
ve Tibi futurum esse juvenem, Tecum conferre velle, & in palæ-
stra congregari, sed mitigabit forte indignationē, si jussu summorū
Virorum ad hoc me accingi negotium resciveris, & nō tam quis,
quam quid dicat attenderis, si item didiceris me subinde abs TE
quoq; edoceri paratū esse, modò ex verbo Dei sine virulentia de-
creveris; par n. est nos Deum de Deo loquentem audire. *Non n.*
est (proferam animi sensa Hilarii verbis) *de divina prædestinatio-
ne* (de Deo rebusq; divinis) *humanis judiciis sentiendum*. *Neq; n.*
ea nobis natura est, ut se in cœlestem agnitionem suis viribus essent.
à Deo discendum est, quid de Deo, Deiq; voluntate sentiendum sit, quia
Deus non nisi Deo autore cognoscitur. Quoniam igitur impossibile

erat sine Deo discere Deum, per verbum suum docet ho-
mines discere Deum. Sed moror TE, Vir Excellentissime,
mox manum, quod ajunt, de tabula, si modo prius de ratione hu-
jus scriptiois aliquid dixerō. Sedulo enitar, ut *breviter* hac in re
agam, ne multum temporis lectio surripiat; & *perspicue* ne Oe-
dipo porro, qui revelet mysteria, Tibi opus sit, & ut intelligi que-
am per omnia; & *modeste* ne Tibi in virulentia similis evadam,
sed Tibi palmam in eo concedam, quantum per intemperiem Tu-
am licuerit; agam deniq; ut par est, *candide*, id quod omnes huc-
usq; in TE desiderarunt. Faciam vero hoc non ornato & ex-
acto, sed facili, communiq; sermone, disputationibus usitato
atq; commodo, ut significata videantur potius, quam explica-
ta. Vale.

Ad duo capita primaria revocari possunt, quæ in castigatione
proponuntur; quorum unum *de Summi Numinis Existentia*: alte-
rum *de Eiusdem Unitate* agit. Quando vero unitas Dei supponit E-
xistentiam, prius de hac, post de illa dispiciemus. Thesis I. cir-
ca Existentiam Dei à D. Calixto in dubium vocata, & jam certis
ac invictis argumentis probanda, atq; à frigidis Calixti exceptio-
nibus vindicanda, hæc est:

*Theologus Existentiam Dei, quousq; & quatenus ex
Scriptura S. nota est, ex Necessitate omnibus tenetur
probare.*

*Status ex-
plicatio.*

N. I. ad meliorem Capitis controversi intelligentiam tria
sunt paulo disertius explicanda. I. notanter dico; *quousq; vel
quatenus ex Scriptura S. nota est.* Dupliciter enim Existentia
Dei potest considerari; *uno modo, quatenus est scibilis* ex lumine
& principiis naturalibus; Esse enim aliquod Ens nobilissimum
& perfectissimum, quod & reliqua omnia superat, & à quo tan-
quam primo authore, reliqua omnia pendent, quodq; proinde
ut summum Numen colendum ac venerandum, omnibus no-
tum est: ταυτα ο ελλην λεγει, και ο βαρβαρⓄ λεγει, και ο
πειρωτης, και ο θαλατηⓄ, και ο σοφος, και ο ασοφⓄ; *verba sunt elegantissima Platonici Philosophi Maximi Tirii* diff. I.
gemi-

gemina tradit s. Dei organon Rom. I, 19. id quod de Deo cognosci
potest manifestum est in illis. Altero modo quatenus est $\mu\iota\sigma\theta\nu\ \tau\iota$,
& credibilis ex lumine & principio supernaturali; nam sicut in
Philosophia (verba Lyrani sunt in prologo de script. Can.) veri-
tas cognoscitur per reductionem ad prima principia per se nota: ita
& in scripturis à sanctis doctoribus traditis veritas cognoscitur;
quantum ad ea quae sunt fide tenenda, per reductionem ad scripturas
Canonicas, quae sunt habita divina revelatione, cui nullo modo po-
test falsum subesse. Neq; enim scire solum oportet Deum esse,
sed & credere, simpliciter enim & absolute impossibile est salu-
tem consequi aeternam absq; hujus propositionis (Deus est) fi-
de. Qui vult ad Deum accedere, hunc **CREDERE OPORTET,**
ESSE DEUM, scriptum est, Hebr. XI. 6. Nec absurdum esse,
ut unum idemq; objectum, prout ex diverso principio cogno-
scendi haberi potest, sit scibile pariter atq; credibile, fatetur Ca-
lixtus p. 14. Cast. n. 2. Indubium quoq; hucusq; fuit, hunc di-
vinæ revelationi subnixum assensum, ab illo scientiæ, quem evi-
dentem vocare sueverunt, assensu toto genere distare. At cum
Excell. Dn. D. Deutschm. in Disp. sua de uno Deo, id ipsum assereret, *An assen-*
Calixtus in eo disputat non licere rem ita involvere; *Quid sibi sus fidei &*
vult (scribit in Cast. p. 32.) *in volutis illis suis verbis, quando dicit, scientie*
Philosophicam notitiam de Deo (Existencia nim. & unitate Dei, de toto gene-
talibus enim inter nos agitur) & fidem Ecclesie toto genere distare? re distent?
Fides certe Ecclesie de Deo univrsino toto caelo differt à notitiâ de Deo
Philosophica, sed de eo non est questio inter nos. Fidem Ecclesie
de unitate & Existencia Dei, à notitia horum è Philosophia & ratio-
ne hausta toto caelo differre: hoc erat quod nobis clare & diserte o-
stendere debuisset Theologus Paradisiacus Deutschmannus. Cur ve-
ro palpabilem hanc distantiam non disertius exponit. Si quis ex
Dnn. Witteb. talia proferret, quæ non exagitandi materia sup-
peteret Calixto! hæcine involuta videri poterant; quæ sole
clariora, pueris nota & domi approbata? mihi sane dubium non
est, hæc reclamante conscientia abs Te scripta fuisse: ipse enim
Dom. D. Hornejus Disp. Theol. P. I. Disp. III. S. I. 0. VIII, p. m. Hornejus
239, hoc ipsum in terminis, ut loquuntur, habet, Adscribam Calixtum
verba Prof. in-
format.

verba, quæ ruborem Tibi excutiant. Et ita cognitio Dei revelata
 se in iis habet, quæ alias (NB) NATURALITER etiam cognoscuntur,
 b. e, quæ præcise (NB) naturam & attributa divina spectant. Quan-
 quam autem ea sic etiam (NB) TOTO GENERE DIFFERT à Co-
 gnitione Dei naturali, ut denuo Thomas q. 1. art. 1. ad 2. monet. An
 & hæc involuta sunt? an hæc sunt magis diserta? discat itaque
 ex Præceptore discipulus quod è Paradisiaco (ita bene Dn. D.
 Deutsch. malitioso licet affectu vocavit, mavult enim paradisia-
 cæ ab ipso λόγῳ revelatæ fidei haberi Doctor, quam Syncreti-
 starum Patriarchæ nomen dare) Theologo noluit intelligere.
 Forte putabat hæc esse ἀπρητα ρηματα, ex Paradiso allata. Sed
 ne Tantus Doctor in posterum harum rerum maneat imprudens
 remittamus eum ad 1. Disp. Horn. P. 1. Disp. Theol. p. m. 6. ut
 exinde addiscat discrimen notitiæ Dei naturalis & supernatura-
 lis, fidei divinæ atq; scientiæ, ne alio opus ipsi sit Oedipo (agno-
 scis ipsissima Tua verba) qui hanc distantiam revelet. Hoc
 2. unum est, 2. dixi ex necessitate tenetur probare. idq; ex θ. XI. Dn. D.
 Deutsch. p. 9. castig: citata. Repetendum hic est ex Metaph.
 Cornelii Martini. *Necessitatem aliam esse ex suppositione finis, quæ
 ita rei adest, ut nulla ratione finis esse possit, nisi res talis esset: Et ne-
 cessitatem expedientia, quando res est necessaria ad aliquem finem,
 non simpliciter, sed quia commodius hoc quam alio pacto eum asse-
 qui queas: ut qui flumen transire velit, expeditius id & commodius
 multo nave aut ponte faciet, quam vado, itaq; navis vel pons necessa-
 rius illi est, sed necessitatis hoc gradu.* 3. Dixi omnibus tenetur
 3. Existentiam Dei probare Theologus, seu rudiores illi sint, qui lu-
 men naturæ ita non excoluerunt, ut demonstrationes è naturæ
 Principiis deductas, capere vel præsupponere possint, seu studi-
 osi bonarum artium ac partium, qui Philosophiæ cognitionem
 afferunt, ut obstruam frigidissimæ exceptioni Calixtinæ Cast.
 pag. 19.

Quid non
 veniat in
 quest.

N. II. His ita præmissis sciendum non quæri 1. an sit Deus?
 id enim utrinq; constat. Nec 2. an Existentia Dei quatenus ex
 lumine nature scibilis est Theologo sit probanda? concedit enim
 Exc. Dn. D. Deutsch. disp. de Deo uno θ. XI. n. 2. eatenus posse atq;
 quan-

quando ita vis, etiam debere supponi, non probari in Theologia. *Neg. 3.* an Existentia Dei debeat probari *necessitate expedientiae praecise*, novit enim Dn. D. D. a vobis concedi. Existentiam Dei a Christ. Dd. ex Scriptura inculcari, idq; recte & utiliter, vestro quoq; iudicio, fieri. *Neg. 4.* solummodo hoc in quaestionem venit, an Existentia Dei sit probanda ex Scriptura *rudi plebecula*, quod equidem concedere videris. (Cast. p. 19. cum tamen de habitu Theologiae praecise fuerit disceptatum, an in isto debeat probari, an supponi; sed transeat hoc cum multis aliis) Sed hoc est Caput Controversiae. *An Existentia Dei, quatenus & quousq; ex supernaturali revelatione innotescit, necessario, necessitate ex suppositione finis, a Theologo in habitu Theologico, omnibus etiam studiosis debeat probari?* Dn. D. Deutsch. & Consensus Re-
 petitus ajunt: O. Theologus ex necessitate officii & suppositi-
 onis finis tenetur probare Existentiam Dei. D. Calixtus negat
 Theologum TENERI ex necessitate absoluta Existentiam Dei
 probare. *Negat* istam thesin haberi in August. Conf. in Apol. in
 Cat. Lutheri: *ne quidem implicite in adductis* a Cons. R. ex art.
 1. A. C. &c. verbis contineri contendit. Propria verba Sen. D.
 Calixti, & Dn. D. Hornej. bona fide (ut *αὐτοψία* docebit) in
 Consensu adducta sunt. Quia tamen Junior D. Calixtus im-
 pudenter & in Examine Consensus p. 45. & in Castigatione jam
 castiganda p. 18. n. 5. & 6. negat a Parente suo negari Theolo-
 gum non DEBERE (puta eò necessitatis gradu, quo Consensus
 dixit eum non teneri ex mente Calixti, nisi malitiose sophistica-
 ri velit hic Doctor) probare Existentiam Dei, igitur denuo hic
 inculcanda sunt, ut B. L. videat iniquè hic castigari immeren-
 tes viros, & per detestabilem calumniam ipsis non erubescens
 impudentiae specimen objici. *Quoniam vero Theologia* (reve-
 lata) *suprema est omnium disciplinarum, propterea praesupponit ea*
reliquas disciplinas, easq; cognitas esse vult ab eo qui se Theologum
profiteri cupit. De Deo itaq; quoniam lumine rationis rebus factis
 (Rom. I. 19.) colligit & concludit Philosophia, quod sit, quod unus
 sit, infinite perfectus, bonus, sapiens, potens, sibi sufficiens &c. hujus-
 modi *missa facit Theologus, s. ut rectius loquar, praesupponit, tan-*

*Quid ve-
niat in qua-
estionem?*

Sen.

*Dn. D.
Deutsch.*

*Dn. D.
Calixti.*

*Junior Ca-
lixthus pu-
tat Paren-
tis mentem
fuisse cor-
ruptam a
Consensu.*

*Calixt. in
Epit. p. m.
44. edit.
in 4.*

B

quara

junior Calixt. in Exam.

Idem in Castig.

quam in inferioribus disciplinis tractata & demonstrata, & tantum ex proprijs sibiq; peculiaribus principijs, nimirum divinis literis ea persequitur, quæ alioquin ingenio humano incognita forent & impervia. Hæc sunt Calixti integra verba, contra quæ Spiritus Calvinianus (his verbis se delectat, sed sciat hunc spiritum ex Deo esse) tumultuari (en hominis intemperiem!) Cast. p. 19. dicitur. Infallibilis horum interpretes est Filius in Exam. Conf. Rep. p. 45. qui audiendus. *Falsum est statuere Calixtum, non DEBERE à Theologo probari & quod sit Deus, & ea quæ diximus attributa; sed hoc ille vult, quantumvis Theologus probare ea possit, probatione tamen talium opus non esse, sed supersedere ea posse, siquidem ad Theologiam accedens, cognitionem istam secum afferat, utpote in inferioribus disciplinis, quæ talia tractent & demonstrent, acquisitam.* At, heus bone vir, Eadem, nec plura nec pauciora ipsi imputarunt Viri Excellentissimi, atq; adeo nec falsarii propterea, nisi calumniose, nec Patriarchæ Calumniantium, nec Rixatores, nec impudentiæ specimen non erubescens edidisse perhibendi sunt, quod quidem abs TE factum esse videmus, quæ conscientiam Tuam videris. Sed & Tua proferenda hic sunt quæ ad status legitimam informationem facere videbuntur p. 19. Cast. ita scribis. *Si vero alibi jam tum tractata & demonstrata Theologie auditoribus sufficienter innotuerunt, quæ tanta necessitas est aliunde in cumulum demonstrari? Horneji verba inferius adducentur. Quod itaque Calixti utriusq; sententia eadem sit & non aliâ, quam quæ à Dno. Witteb. imputata ipsis fuit, hoc robore evinco. Q. asserit Theologum Doctrinam de Dei Existentiâ, reliquisq; enumeratis antea attributis missam facere, præsupponere, tanquam sufficienter alibi demonstratam, probatione adeoq; eidem, utut probare possit, opus non esse, supersedere ea posse, qui item asserit Theologum TANTUM ea persequi (necessario sc.) debere, quæ alioquin ingenio humano incognita forent & impervia, is asserit Theologum doctrinam de Existentiâ Dei non TENERI ex necessitate officij & suppositionis finis probare. Περὶ ἡλόν! Atqui Calixtus uterq; E. Calixtus statuit Theologum non TENERI vel debere probare Exist. Dei ex necessitate. Hoc mihi in antecessum, ut de sinas maledicere, demonstrandum fuerat.* N. III.

N. III. Hæc quamvis tam clara sint quam meridies cum
 sudum est maxime; tamen Calixtus se beneficio Criticæ
 suæ, quam circa particulam *Tantum* exercet, p. 20. Cast. evade-
 re, omnemq; scrupulum nobis eximere posse sperat, ut est sua-
 rum rerum confidentissimus. Videamus igitur quid spei de no-
 stro Calixto sit reliquum. Obnixè rogat ut patiantur se (socer
 Generq;) ad *Lexica*, ad vocis significationem perdiscendam,
 remitti: illa sc. *Viris summè Reverendis* comiter ostensura & pro-
 batura particulam *Tantum* non præcise exclusivam esse, sed a-
 liquando æquipollere τῷ maximè, primario, s. potissimum, quod
 Germanis est *allermeist*. Nempelatici sermonis indolem, &
 communè loquendi rationem ita ferre, infinitis ibi demonstrari
 exemplis. Sed quid tanto feret hic promissor hiatus? credo o-
 mnes scil. seculares perreptavit oculis scriptores, & tamen, quia
 cum Theologis ipsi res est, ad istos non vult multum provoca-
 re; sed assertioni suæ fidem aliunde facit, & quod mireris, ex
 A. C. in re Grammatica, & quidem ex XX. articulo. Specta-
 tum igitur admissi risum teneatis amici! *Thesaurus Fabri* à Clar.
 quondam Buchnero p. m. suppletus ne γῆρ quidem de isthoc
 mysterio Grammatico habet. Tuum maxime intererit manes
Dassipodij, vel, si placet, *Calepini* convenire, ut Tibi viro summe
 Reverendo comiter ostendere velint istam significationem,
 nim. part. *Tantum* aliquando æquipollere τῷ maximè &c.
 vel si Existimatio Tua aliquid forte detrimenti exinde capere
 videbitur, si hosce *Consiliarios* adeas, age Tute ipse ex probatis
 autoribus istam comiter monstra Lexicographis, facies hoc ipso
 opere pretium, maximamq; in ibis gratiam. Sed quid facessi-
 mus viro alias in gravioribus occupatissimo negotium quisqui-
 liis istiusmodi Grammaticis, & puerilibus? Concedemus, ne
 spe sua prorsus excidat, homini probatissimos quosq; cum ipsa
 Augustana Confess. in infinitis millibus locis istam inculcare
 significationem: qua Consequentia, exinde exterebrabit, Pa-
 rentem suum eam voluisse l. c. adhibere? Certum itaq; TE es-
 se volo, TE, sive lacrymis vi oculos terendo expressis orares

Exceptio.
Calixti
circa part.
TANTUM
expendi-
tur.

qua specie
probabi-
litatis.

exorare vel adducere posse ut credat part. Tantum aliter quam Exclusive à parente accipi. Certe parum abest quin credam Te ipsum non credere quod aliis tanto conatu obtrudere voluisti, forte nobis, si credulos videres, illud lepidum *Ovidii* occineres, ut es ad jucunda compositus,

Credulitas damno solet esse puellis.

Nec destituor argumentis, quibus hanc conjecturam confirmare possem, si esset tanti. Esto non sumatur exclusive præcisè, quoad omnem probationem Existentiæ divinæ ex libro scripturæ, tamen excludit eadem prædictum necessitatis gradum, sc. Theologum (saltem in arctissima significatione sumtum) non tene-ri necessario probare Existentiã divinã, vel si ex abundanti conjungat probationem scripturæ cum libro naturæ, illam conjunctionem tamen *negat ex officio & semper* (concedis enim *Cast. p. 22. interdum officium id exigere*, sed an necessariò? hic non d-ferre exponis, & tota Disputatio contrarium probare videtur) requiri, id quod tamen vel maximè, maximè in statu Controver-siæ positum est. Jam ad rem.

N. IV. Cum itaq; tandem per longas ambages & laby-rintheos anfractus in adyta mentis Calixtinæ penetrare licuerit, operæ pretium facturi videmur, si prius nostram thesin certis documentis probaverimus, & postea argumenta adversarii no-stri confutaverimus, ex quo tandem patebit non in ipsius odium hæc talia disceptari, neq; temere eidem à nostris contradici. Sunt vero nobis in promptu rationes numero plurimæ & ponde-re gravissimæ, quibus Existentiã Dei, quatenus ex scriptura nota est, probandam esse necessario evinci potest: potiores tan-tum adduxisse juvabit. *Primum* omnium expendas velim The-ologiam esse habitum & sapientiam supernaturalem, ab omni-bus aliis habitibus distinctum, eundemq; talem cujus beneficio miseri mortales ad fidem divinã, & ab hac dependentem sa-lutem perducantur. Necessum igitur est ut habeat suarum as-sertionum omnium, quæcunq; tandem sint, quocunq; nomine, veniant, *certissimum & infallibile*, ex quo omnia tua dogmata primo deducat, & in quod omnia ultimo resolvat, principium, scili-

*Arg. I. the-
ticum.*

scilicet ne fides nostra sit in persuasoriis humanae sapientiae verbis, sed
in ostensione spiritus & potentia 1. Cor. II. 4. Sicut enim omnes
reliqui habitus agnoscunt suum, ex quo sua petunt, principium,
Physica, Mathematica &c. quarum unaquæq; omnia sua ad pri-
mum revocet principium suum atq; proprium, ne scil. migret in
aliud genus, ut præclare Philosophus L. 1. Post. An. per 7. fere ca-
pita ostendit. Ita & Theologia omnium maxime suum immo-
tum fundamentum, ex quo sua dogmata omnia demonstrat,
tanquam ex primo aliquo principio, agnoscit. Necesse enim
est, demonstrativam scientiam ex veris esse, καὶ πρῶτων, καὶ ἀμεσῶν
& primis & immediatis L. 1. c. 2. Post. Anal. Prima autem prin-
cipia sunt propria ἐκ πρῶτων ἢ ἑξ ἑξ δὲ χῶν ὀκείων l. c.
quod jam Philosopho sunt prima & per se nota principia; id
Theologo in omnibus propositionibus Theologicis, qua talibus,
est Scriptura sacra. Sicur (repeto verba Lyrani) in Philosophia
veritas cognoscitur per reductionem ad prima principia per se nota;
ita & in Scripturis à sanctis Doctoribus traditis veritas cognoscitur;
quantum NB. ad ea quæ sunt fide tenenda, per reductionem ad scri-
pturas Canonicas. Si enim (dicam verbis Orig. τῶν δὲ χῶν L. 4.
c. 1.) vel arte Rhetorica, vel Philosophica calliditate conscripti libri
nostri, ad credendum illicerent homines, sine dubio fides nostra pu-
taretur in verborum arte consistere, atq; in sapientia humana, &
non in virtute Dei. Nunc vero omnibus notum est, quod predicatio-
nis hujus verbum ita à quamplurimis in omni pene orbe susceptum
est, ut non in suasoriis humanae sapientiae verbis, sed in ostentatione
spiritus & virtutis etiam intelligerent, quæ credebant. Nimirum
omnium rectè sentientium vox est Clementis Strom. 7. τῆ τὸ κρι-
εῖς φωνῆ πιστεύουσα ἢ ζητούμενον, ἢ πασῶν ἀποδείξεων ἐχέ-
γουστέρα: μᾶλλον δὲ ἢ μόνη ἀπόδειξις ἴσα τυγχάνει. Domi-
ni voce confirmamus id de quo queritur; quæ omnium demonstra-
tionum certissima est; imo vero sola demonstratio existit. Cum i-
gitur hæc propositio, Deus est, qua fide credenda est, sine omni
dubio sit Theologica, ex proprio & adæquato Theologiæ prin-
cipio erit demonstranda. Et quamvis alias ex lumine naturæ
nota quoq; sit, sub ea tamen ratione hic non spectatur. Hæc

Arist.

Lyr.

Orig.

Clema.

Cyr. Heb. enim (verba sunt Cyrill. Hieros. illum. Cat. 4.) ratio est conser-
vanda NB. fidei nostræ, non quæ ducitur ex ingenioso acumine, sed
ex demonstratioe divinarum scripturarum. En igitur invictum ar-
gumentum. O propositio Theologica, est ex proprio & adequato
principio Theologiae probanda. Ευδηλον ex dictis. Hæc, Deus est,
est propositio Theologica. Heb. XI. 6. E. Hæc prop. Deus est, ex
proprio & adequato, scripturæ nimirum sacræ, principio neces-
sario est probanda. Expectamus seu à TE, seu à Tuis solidam
ad hoc argumentum responsionem.

2. Argum.
Theticum
à natura
fidei de-
sumtum.

assensus o-
ritur à ra-
tione.

ab autori-
tate.

N. V. Alterum, quo nostram sententiam tuemur, argu-
mentum petimus à fidei, qua propositio ista de Existentia Dei
credi debet, natura. Consistit eadem, quantum ad præsens qui-
dem attinet negotium, in assensu. Assentiri autem in genere ni-
hil aliud est, quam sentire unum esse aliud, quod idem est ac affir-
mare unum esse aliud: sicut è contrario dissentire est sentire u-
num non esse aliud, prout *Mendoza* non male forte explicat disp.
VII. de anima sect. II. §. 9. p. m. 801. Et ex *Philosopho* VI. Eth.
c. III. sub init. colligi potest. Cum vero non sit unius generis,
sed pro principiorum, à quibus initium ducit, varietate variet,
videndum, paucis tamen, quomodo se plerumq; habeat. O-
mnis autem, quem in rebus controversis animo præstat humanus,
assensus oritur vel à ratione; quæ pro ratione certitudinis & evi-
dentia variat, ut ex I. post. anal. c. XXVII. constat, si enim certa
est ratio, ut aliter se habere nequeat, neq; falsum subesse queat,
& simul evidens, ut vel ex terminorum evidentia immediate, vel
certe interventu certi & evidens medii perspicue intelligi pos-
sit, oritur scientificus assensus, quem scholæ evidentem vocant:
si vero ratio non undiquaque certa atq; evidens fuerit, sed sub
morali certitudine, quam oppositi formido urget, instar arista-
rum fluctuat, assensus opinionis appellatur: v. Thom. in 2. 2. q. 1.
art. 4. Vel ab autoritate, qua ob præstantiam aut eximiam vir-
tutem dicentis movemur, ut multum ejus verbis tribuamus; quæ
denuo pro diversitate auctoris, cujus testimonio assurgimus, vel
errori obnoxia est, vel ab errandi periculo prorsus & absolute im-
munitis. Quod si assensum præsto homini ibi, ubi erratur, nato
fidem

ndem humanam i. *assensum humanum*, habeo, qui forte opinioni non multum ab similibus est; dici non incommode poterit assensus *naturalis*, naturali enim æquitati conveniens est, ut prudenti & rerum perito, & honesto, qui animum fallendi non habet, assurgam. Sic *August.* Credebat motus autoritate Ecclesiæ: & *Samaritani* mulieris sermoni testimonium perhibentis Christo quod sibi omnia, quæ perpetraverat, ad numerum enumeravit Joh. IV, v. 39. si vero Deo loquenti credam, quem novi ob infinitam scientiam & sapientiam non falli, neq; ob excellentissimam perfectionem, seu per se, seu per alium, fallere posse aut velle, *fidem divinam* habeo, cui simpliciter & absolute repugnat subesse falsum, adeoq; hic omnis exulat formido, omnis metus contrarii; potest & *supernaturalis* vocari assensus, quia rationi assentiendi supernaturali, divina videlicet revelatione, nititur, adeoq; in *substantia sua*, ut Becanus in Schol. Theol. loquitur, *supernaturalis* est. Talis assensus erat *Thessalonicensium verbum Dei non ut verbum hominum, sed ut verbum Dei recipientium* 1. *Thess.* II. 13. conf. Joh. IV. 41. Non equidem me fugit posse aliunde quoq; fidem oriri, nempe vel per miracula, vel motiva, ut vocant externa, sed cum hæc *per se ac præcise* divinam fidem haud pariunt, ad occasiones fidem humanam generantes non incommode forte referuntur. Cum itaq; *de ratione fidei divine sit 1. ut præcise* divina revelatione sese fulciat, tanquam *objecto formali*, & *ratione*, ut vocant, *assentiendi propria*, quæ ut à solo Deo tanquam causa adæquata pendet Joh. I. 18. *Deum nemo vidit unquam, unigenitus filius qui est in sinu Patris, is revelavit nobis* conf. 2. Tim. III. 16. ita ab ejusdem efficacissimo concursu habet virtutem insitam & *intus in sensibus* (mutuor verba Chrysostomi) *suis positam quasi sanguinem in venis inclusum* qua animum audientis mirifice adeo movere atq; percellere potest, ut rebus quæ supra fidem quam longissime posita sunt, certissimam fidem habeat. 1. *Thess.* II. 13. *ut verbum Dei divina fide, ut verbum Dei, non ut verbum hominum reciperetur, Deus ipse sua virtute media verbi efficacia præstitit.* 2. *ut objectum materiale divinitus revelatum, seu res ipsa à Deo in verbo proposita & inculcata sit.* Atq; *hinc 3. effectivè*

Hom. 46.
in Math.
c. 23.

fectivè à Spir. S. in animo hominis assensus ipse produci requirat, solus enim Deus potest illuminare oculos mentis Eph. 1. & fides divina solius Dei opus atq; donum Joh. VI. Eph. II. patet vires humanas nihil quicquam hic valere; atq; sic omne objectum fide divina credendum ex scriptura probandum erit. Neq; enim est assensus evidenter certus, ut ex objecto naturaliter cognito qua tali, produci possit: Minus multo opinionis, sunt enim ἀσυστά, quæ simul stare non possunt, credere fide divina & opinari. Neque initium ducit à testimonio aliquo hominis cujuscunq;. Sed à solius Dei in verbo scripto consignato testimonio, adeoq; est assensus supernaturalis. Arguo. O. fide divina credendum necessario ex Sacra Scriptura debet probari Rom. X. 14. quomodo credent absq; prædicante? Existencia Dei est fide divina credenda Heb. XI. 6. nec abnuente Calixto utroq; , si junior Patris sui mentem recte affecutus est, in Cast. p. 27. 28. n. II. E. Existencia Dei necessario prodanda est ex Scriptura. Certus sum Calixtum contra hoc argumentum omnibus suis copiis nihil quicquam effecturum esse.

N. IV. Hoc est illud invictissimum, in Repetito publico consensu p. 13. contentum argumentum, quo Existenciam Dei probandam esse Theologo ex S. Scriptura, ex Aug. Conf. art. 1. Apol. Aug. Conf. ad art. 1. Cat. Maj. Luth. p. 502. Feut. 207. contendebatur. Quomodo vero hic se noster Calixtus expedit? (1) dicit neq; August. Conf. neq; ejus Apologiam, neq; Catech. Maj. Luth. II. cc. docere, TENERI Theologum ex Script. probare Dei Existenciam, & reliqua attributa, quæ ex lumine natura innotescunt Exam. p. 45. pergit, postquam de mente Parentis quædam monuit, p. 46. porro, (2) neq; Aug. Conf. neq; ejus Apol. art. de cognitione Existencia Dei aut attributorum è lumine nat. notorum. TANTUM (observa hic artem Jesuiticam) agit, sed de tali Dei cognitione, qualem Nicena Synodus in Symbolo proponit. Talis vero cognitio non acquiescit in iis quæ e principis rectæ nat. innotescunt, sed ad Trin. notitiam progreditur, & omnem rationem sibi relictam transcendens mysterium includit. Sine ulla igitur dubitatione credendum esse docet confessio, quod sit una essentia, qua &

ap.

appellatur & est Deus, aeternus, incorp. &c. TAMEN tres sine
persona. Quod vero sine ulla dubitatione credendum hic proponi-
tur, non illud tantum NB. est quod Calovius (non hic solus, sed
integra Collegia) recitat, nempe unam esse essentiam divinam, quae
& appellatur & est Deus aeternus, incorp. impartib. immensa pot. sa-
pientia, bonitate, illud enim è lumine naturæ quoq; constat: sed re-
quiritur quoq; ut credamus licet una sit Essentia, quae & appellatur
& sit Deus, TAMEN tres esse personas ejusdem Essentiae divinae &
coeternae, Pater, Filius & Spiritus Sanctus. Hunc vero (3) articu-
lum, qui tunc demum est art. meræ fidei, si posteriora prioribus jun-
gantur, certa & firma testimonia in scripturis sanctis habere affir-
mat Apol. adeoq; non aliunde quam ex scriptura probandum esse do-
cet. Ut autem (quod 4. loco not.) attributa quae præmittuntur,
& etiam ex rationis lumine innotescunt, non minus quam mysteri-
um hoc è scriptura probandum esse evincat Calovius, posteriora, my-
sterium in Esse mysterii constituentia, omittit &c. quam imperite!
sophistice! incircumspecte! quam calumniose! Imperite pri-
mum negat librosymb. docere TENERI Theologum probare,
ex scriptura Exist. reliquaq; ex naturæ lumine innotescuntia at-
tributa. Ubi ante omnia in mentem Calixt. revocare velim
omnes nostros libros symbolicos OMNIA SUA DOGMATA secun-
dum nullam omnino aliam normam velle estimari & judicari, quam
secundum scripta Prophet. & Apost. hac sunt ipsis regula unica atq;
etiam certissima v. Form. Conc. p. 570. Itaq; cum Deum esse, e-
undemq; unum aeternumq; doceant in Art. 1. Aug. Conf. & o-
mnes docti pariter atq; indocti, rustici cum civibus devoto cor-
de in Ecclesia cottidie elatâ voce cantitent, Wir glâuben all an
einen Gott/ Schöpffer Himmels und der Erden &c. sine dubio
& hoc suum dogma fidei, ex scriptura quam SOLAM, UNI-
CAM, ADÆQVATAM, NEG ULLAM OMNINO aliam re-
gulam probandi agnoscunt, firmiter probabunt. Secundo lo-
co velim ut ad hoc argum. respondeat. Qui docent, & quidem
adversus eos qui unitatem Dei oppugnant, Deum esse unum, idq; fide
divina sine ullâ dubitatione credendum, illi docent Theologum TE-
NERI ex necessitate probare istud dogma ex scriptura sacra. Libri
lym.

Symbolici omnes hoc docent ut in confesso est. E. docent Theologum TENERI ex necessitate ex scriptura id probare. Majorem si neget Calixtus omni castigatione, imo fustibus dignissimus judicabitur. Theologus enim (si Calixtum exceperis cum suis) docens aliquid, ex scriptura docet, & sic docendo probat; *docere enim & probare hic idem sunt*, quod Calixtus ex Horn. disp. III. §. II. discere potest, ubi Hornejo idem sunt, non probare, non docere Deum esse. Ergo idem erunt, probare & docere Deum esse. Et id quidem facit necessario, *necessitate præcepti, medi atq; finis*, quod denuo palam est. Oportet (Basil. verba in Eth. def. XXVI. mea hic faciam) *quicquid dicitur, quicquid fit confirmari testimonio scripturæ divinitus inspiratæ, cum ad certam bonorum persuasionem, tum ad improborum redargutionem*. Non possum quin pietatem meram redolentia Selnecceri verba huc apponam in dedic. Ep. Homil. f. 5. 6. *aliud est posse coram mundo subsistere, & aliud est posse coram Tribunali Dei non confundi. Sed hoc nec Politici, nec quidam Theologastri (arrige aures Calixte!) considerant: abeant ergo & fruantur judicii sui temeritate & licentia. Simplicitas & rectum Domini custodiant me, & omnes recte sentientes. Cætera turba vale, cætera turba peri. Tenetur inquam necessitate præcepti, Matth. 28. 19. 20. Euntes docete omnes gentes, docentes servare omnia quæcundq; præcepti vobis. Necessitate medi, ut fides certa & immota, in iis quoq; quæ alias ex naturæ lumine constant, haberi queat pariter atq; adversus ἀντιλέγοιτας defendi: Necessitate finis, quæ in dicendis mox demonstrabitur. Et probat quidem, quæ sine ulla dubitatione credenda sunt, non ex alio quam supernaturali principio, ratio enim formalis assentiendi sola est divina revelatio. Ubi enim fides concipienda est, ibi non tam ratio in disputando, quam autoritatis momenta quærenda sunt. Locum enim de autoritate a deo sibi proprium vindicat, ut rationes vel tanquam hospites & peregrinas excipiat, vel in suum etiam obsequium adsciscat, quasi longius repetitas. Hinc jam videre potest Calixtus (hætenus enim cœcutiens in cathedra obambulavit) quomodo ex eo, quod Ecclesiæ nostræ non per rusticos, sed Theologos doceant, sequatur, omne*

omne illud quod docent Theologi, è sola peculiaris modi revelatione docere, & quod nunquam mixtorum fidei articulorum probationem è principijs naturaliter notis vel ipsi habitu Philosophico deducant, vel ab aliis deductam presupponant, verba sunt in cast. p. 16. in quibus plura notari possent, sed ad alia pergendum.

N. VII. Si quis in Calixti gratiam voluisset excipere, quod putet saltem *explicite* non haberi in libris symb. quod Theologus **TENEATUR** probare Existentiam Dei: per Castigationem non licebit esse tam benigno. Sic n. p. 14. 15. *minime falsum, sed verissimum est quod Aug. Conf. &c. non doceant Theologum TENERI ex Script. probare Dei Exist. & reliqua attrib.* Loca enim ex quibus mala causa (en os effrene!) patronus hoc ipsum exterebrare conatur, hoc tantum indicant, etiam ex scriptura & revelatione innotescere, & à Christianis Dd. inculcari existentiam & unitatem Dei, idq; recte & utiliter fieri, quod nemo nostrum unquam negavit. Quod autem id **TENEATUR** Theologus facere, id ipsum in **NULLIS** adductorum verbis, **VEL IMPLICITE** asseritur. Pro-roco ad *ἀποψία*. Et si maxime in libris cc. diceretur (an *explicite*? an *implicite*? an utroq; modo?) **TENERI** Theologum unitatem & existentiam Dei & reliqua ejus attributa ex Scriptura probare, Calixtus tamen, Parens meus, his ipsis nihil laderetur: qui sic vero? quum ille nullibi contradictorium, nempe **Non TENERI** Theologum dicta attributa ex S. Scriptura probare, scripserit. Quod fecisti nega! contrarium probatum dedi n. II. ad duo tamen loca, adsertionem hanc, quod ita agere teneatur Theologus, probaturus, provocat advocatus Calovianus, ad Art. np. 1. Aug. Conf. & Cat. Maj. Luth. p. 502. Verum perperam utrumq; locum NB. restringit ad Existentiæ & Unitatis divine cognitionem, cum utrobq; non de iis **TANTUM**, agatur, sed mysteria, sapientiam & rationem humanam extra controversiam superantia, contextus illi includant. Hic vero perpendas velim, B. L., hujus Viri sophisticam impudentissimam! vetus verbum est: ὅς ἰστὶ ἐπὶ θεῶν ὀϊδὲ, ἔτ' ἀδεινὰ τὰ κριτὰ πᾶσι τῆς ἀναδείας ἔχει. Qui nec erubescere scit, neq; metuere, ille primas universæ tenet impudentiæ. Ubi, per fidem TE rogo, vel Magnif. Dn. D. Calovius, vel

Calixt. asserit ne implicite quidem propositum evinci ex libb. Symb.

Consensus Repetitus, vel Dn. D. Deutsch. scripsit Aug. Confess.
Tantum agere de cognitione Existentiæ Dei aut attributorum è
lumine naturæ notorum? ubi *restrinxit* (NB) Consensus locum
ad existentiæ & unitatis divinæ cognitionem? annon disertis
verbis Dn. D. Deutsch. in sua Disp. de Deo uno *th.* 8. distinguit
inter vocem Dei absolute & relate sumtam, priori modo acce-
ptam *in prasenti*, posteriori vero *sequenti* disp. considerandam
esse? sed bene se res habet, ipse se confundit, ut in multis aliis,
ita & hac in parte: *th.* 2. Cast. in sua membra totum art. dispe-
scit. *Confitetur* (sc. art. 1. Aug. Conf.) *primum Essentiæ divinæ*
unitatem una cum aliis quibusdam attributis. Deinde *Pers. in ea-*
dem Trinitatem asserit: Consensus dicit, docemus Theologum
teneri per art. 1. Aug. Conf. probare ex scriptura unam esse Es-
sent. div. &c. Huic propos. *Examen Calixti* contradicere debet,
hoc modo scil. Theologus non tenetur per art. 1. Aug. Confess.
probare ex scriptura unam esse Essentiam divinam. At vero
Calixtus, ut est artis Logicæ peritus, ita contradicit: Theologus
per Aug. Conf. non tenetur *TANTUM* probare Existentiæ Dei
& unitatem. Egregie! ergo inquam ego, *si non tantum* tenetur
probare Existentiæ Dei & unitatem, *tenetur tamen* probare;
quia *includit* utramq; & unitatem & Trinitatem. Aut si Tu por-
ro contenderis Aug. Conf. in h. l. *ne implicite quidem* Existentiæ
& unitatis probationem urgere, sed hoc solummodo *indicare,*
eandem ex scriptura innotescere; pari jure quispiam forte dicere
posset, ne Trinitatis quidem, summi mysterii, probationem ab
eadem *ne implicite quidem* urgeri; æqualis enim verborum am-
bitus est, tam quoad unitatem, quam quoad Trinitatem. Si-
cut igitur utrumq; & unitas, & Trinitas, sine ulla dubitatione,
per art. 1. Aug. Conf. credenda est, ita & utraq; ex Scriptura per
eandem, probanda est necessario. Aut si Unitas & Existentiæ
per Aug. Conf. non probanda est, nec Trinitas probari debet
per Aug. Conf. Non igitur sophisticè solum sed & *incircum-*
specte disputas; *¶ primo quidē* in eo quod nec fundamenta con-
sensus observasti, quæ extrema cœcitas, & pudenda negligentia
est: *¶ 2.* quia te ipsum implicas, dum aliis retia ponis: *¶ 3.* in-
super

Super unitatem *relatam*, quam tantopere in Dn. D. Deutschm.
exagitas, in verbis N. VI. ex Exam. p. 46. allatis, imprudenter
asseris. Nondum Te dimitto, en quam misere Te ipsum impe-
diveris! debuisti probare, *Theologum per Aug: Conf. art. 1. non te-
neri ad probandam Existentiam Dei.* Consensus enim, cui contra-
dicis, dicit teneri. Tunc vero ita argues; Q. confessio *non tan-
tum* de Existentiæ Dei aut attributorum è lumine naturæ noto-
rum cognitione agit, *sed de tali cognitione*, qualem Nic. Syno-
dus proponit, illa non docet Theol. TENERI probare Exist. Dei?
an Synodus Nic. non includit Dei existentiam? omnino. An
sic colliges; Q. Confessio in una Essentia TAMEN Tres perso-
nas esse docet, P. F. & Sp. S. illa non docet Existentiæ Dei pro-
bandam? apage nugas? Anne hunc in modum ratiocinabere;
Q. Confessio docet præter unam essentiam, quæ è lumine natu-
ræ quoq; constat, tamen tres esse pers. illa *ne implicite quidem* as-
serit Theologum teneri ad probat. Existentiæ divinæ? at quam
ridicule! an deniq; sic concludes; Q. artic. non est *mera fidei*
nisi cum alio jungatur, ille non est probandus ex Scriptura sacra?
dicam ego E. neq; rudi plebeculæ, neq; iis qui nullis Philoso-
phiæ præceptis imbuti sunt ex scriptura erit necessario proban-
dus; quoniam si his proponitur non desinit esse mixtus, non sit
meræ fidei. Et cur id, quod non est *mera fidei* non debet probari?
quæ ratio hujus decreti? illud vero, mi Calixte, quodnam est:
*Hunc vero artic. qui tunc demum est art. mera fidei, si posteriora pri-
oribus jungantur, certa & firma testimonia in Script. S. habere af-
firmat Apologia, adeoq; non aliunde quam ex scriptura probandura
esse docet.* Quid vis Tibi hisce Tuis involutis verbis? potuisti-
ne Tibi persuadere Apologiam statuere artic. de Existentiæ Dei
(& attr. reliquis) quia non est meræ fidei, nisi cum alio junga-
tur, non habere certa & firma testimonia in script. S.? aut si ha-
bet ex iisdem non debere probari? Certe si Trinitas probanda,
quia firma & certa in scripturis habet testimonia, cur non & Exi-
stentiæ & Unitas æque probanda esset, cum *æque certa & firma* in
eadem habet testimonia? hætenus igitur nihil quicquam profi-
cis. At, inquis, *Calovius* (debuisses R. C. dicere, sed esto, nihilo
minus

minus causa cades.) posteriora, *mysterium in Esse mysterii constituenta omittit, ut evincat attributa, quæ præmittuntur, & etiam ex lumine natura innotescunt, non minus quam mysterium hoc probandum esse ex Scriptura.* Hic vero dubium esse potest annon commiseratione potius quam refutatione digna sit exceptio, adeo angusti animi indicium est! ex proprio loqueris, quando ais *Calovium ideo omisisse partem de mysteriis; Ut evincat attributa, quæ præmittuntur, non minus quam myst. probandum* (volebat dicere probanda nimirum attributa) *esse.* Quis hoc Tibi dixit in aurem? non ideo omisit, ut id evincere possit, habet enim eversionis suæ longe alias, easdemq; gravissimas rationes, ut vidimus. Magis itaq; propitia veritate possemus de TE dicere, quod pro singulari Tua atq; connata modestia de Dn. D. D. Cast. p. 27. n. II. dixeras, nimirum *MALITIOSE suspicacem esse.* Sed ideo omisit quia hætenus de mysterio Trinitatis vobiscum ipsi nulla intercesserat contentio. Si quis diceret, Calixtum in Castigat. sua omisisse (nihil enim de Trin. differit in eadem) partem de Trin. ut evinceret per Aug. Conf. art. I. Theologum non TENERI ad probandam Existentiam Dei, sine dubio ex decreto Calixti virgis ad necem usq; cædendus atq; *castigandus* esset. sibi v. est iudex Jupiter æquus!

N. VIII. Ad locum *Lutberi* in Rep. Conf. citato, & à Dn. D. Deutsch. l. c. fusius declarato, monstrata comiter Consequentiâ: habetur is in F. C. p. 502. 503. huc referrem nisi chartæ parcendum esset. Includam huic Syllogismo omnem rem: *TOTAM ESSENTIAM DEI, prout in Symbolo credenda proponitur, sapientiam rationem humanam excedentem vocat, atq; fides incomprehensibilem è sola S. Scr. docendam, is docet à Theol. necessario debere probari ex S. Scriptura* Exist. & Unitatem Dei. B. Luth. l. c. hoc dicit &c. E. Magnum pondus, ut ex dictis clarum est, est hujus argumenti. *Calixtus* vero, qui mutationem & mutilationem & corruptionem tantum non in omnibus lineis objectat aliis, omnia pervertit, omnia corrumpit, ut in turbido piscari, & imperitoribus imponere queat. In locum enim nostri argumenti sua somnia, quibus sibi nimium quam placet, substituit

stituit Cast. p. 16. §. par est. *Nemo non, inquit, videt nullam omnino esse hanc consequentiam: Lutherus in Cath. M. asserit ipsam TOTAM div. Essentiam, ejus voluntatem, ejus operationem, humanam sapientiam, rationem, sensum superare. item mundum nihil harum rerum ratione assequi posse. E. Lutherus asserit, existentiam & unitatem Dei, quibus tota Essentia divina in Esse completo non constituitur, TENERI Theologos esse Scriptura probare. At quis unquam nostrum somniavit TOTAM Ess. div. per Existentiam & Unitatem Dei in esse completo constitui? nemo nostrum, nemo unquam, a sino clitellas, non nostrum hoc onus. Hæc consequentia prona atq; facilis est. Luth. ait TOTA ESSENTIA div. ut in Symb. proponitur, FIDE DIV. credenda, superat rat. hum. E. ait ex Scriptura probandam esse Unit. & Exist. Dei. hæc enim includuntur in Essentia div. proponuntur in Symb. & credenda divina fide sunt. Quid vero verbis istis vult Calixtus, Tota Essentia div. Existentiâ & unitate Dei in Esse completo non constituitur? an ut obtineat E. Theologo non est necessario probanda? si ita colligit, dicam, nulli hominum cum recta ratiocinatione minus convenire quam Calixto. Sequeretur enim nec Filii Deitatem probandam esse, nec processionem Sp. S. à Patre, Filioq; quoniam his ipsis tota Essentia div. in Esse completo non constituitur. Eo nimirum res redit cum iis, qui non manent in sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi, ut inflati sint, & nihil sciunt, & insaniant circa questiones ac disputationum pugnas, ex quibus nascitur invidia (ἐπιχαιρῶναια) contentio &c. 1. Tim. VI. 3. 4. Deinde excipit, verba Lutheri (sc. omnem sap. humanam longe lateq; superare) præcise (NB:) rari non posse ad Existentiam & unitatem Dei. Quis, quæso TE, rapit? quis præcise rapit? si non præcise atq; exclusive, tamen (non rari, sed ex mente B. viri) & ad eadem applicari debent, neq; enim Existentiam & unitatem Dei, ut oportet, ratio assequitur, licet suo modo attingat. At, pergit, pugnasset B. Vir cum Paulo Rom. 1. & cum ipsa experientia, si contendatur asseruisse Exist. & unitatem Dei intelligentiam omnem excedere. Ajo, si absolute; nego, si secundum quid, Quatenus in symbolo credenda (NB.) proponitur,*

tur, & ex scriptura traditur, eatenus omnino longè lateq; excedit humanam sapientiam; Est enim *articulus fidei Principalis*, Luthero iudice in Cat. Maj. p. 489. F. C. ed. Lips. qua de re jam jam Tecum acturus sum. Unum sub calcem hujus thesæ os moneo. Ex dictis falsitatem confidentissimæ assertionis Tuæ in Cast. p. 31. n. 12. patescere. Nimirum *libb. Symb. questionem, utrum ea, quæ de Deo naturaliter innotescunt, DEBEANT etiam fide divina credi propter auctoritatem revelantis scripturæ ? hanc inquam questionem dirimere libros symb. tantum abest, ut eam ne quidem attingant.* Nimirum solus Calixtus scit, quomodo Jupiter duxerit Junonem!

3. arg. The-
ticum.

N. IX. Evici hæctenus Existentiam & unitatem Dei in Poedia Theologica necessario probandam esse ex duplici capite, nimirum quia est propositio Theologica, & fide divina credenda. Vidi etiam quam nihil solidia Calixto contra Consensum, quantum ad præsens attinet, allatum sit. Possent hæc forsan sufficere homini rem absq; concitatis affectibus æstimanti. Sed adhuc fortius TE constringam, & ita quidem, ut omnem elabendi rimam obstruam. Concedis, opinor *Excell. Vir*, omnem articulum fidei ex sola S. Scriptura ultimo probandum esse. Igitur si demonstravero doctrinam de Existentia Dei esse articulum fidei (quod Rep. Conf. affirmavit p. 14. Calixtus vero negat cum aliis) & quidem principalem, dabis mihi ultro quod peto, nimirum Existentiam Dei necessario debere probari. Id vero conabor, faxit magnus noster Jesus ut feliciter! Non equidem plenariam hic difficillimi alias negocii de articulo- rum fidei varietate, necessitate, enumeratione atq; ordine tractationem instituere attinet, est enim hæc res altioris indaginis. Minus multo in impedita Scholasticorum mysteria penetrare fas est, quæ in 2. 2. Thom. per multos articulos pandit: quem Greg. de Val. T. III. disp. 1. q. 1. aliq; Thomæ interpretes presslo pede sequuntur. Prima tantum capita notabo. *Notas vel requisita*, quibus articulus fidei dignosci potest, soletq; alii alias requirunt, quorum omnium enumerare sententiam atq; dijudicare nostri instituti non est. Sunt qui Tria; sunt qui quatuor

tuor: alii quinque enumerant. Ego, quando Tecum quidem mihi res est, totidem nunc acceptabo, quot Tute ipse in Castigatione requiris, nimirum duas, ad quas reliquæ omnes facile, ni fallor, revocari possunt. *Primo* autem, si aliquid in articulo-
rum fidei numerum venire debeat, requiritur *Supernaturalis in solo verbo Dei scripto, adeoque peculiaris revelatio*. Nihil enim credimus fide divina, nisi quod, & qua, & quousque in verbo Dei revelatum est, ut toties jam inculcavimus. Si quis aliud *Evangelium, præter id quod scriptum est, prædicaverit* (& consequenter etiam crediderit) *anathema sit, si vel Apostolus, vel Angelus de caelo fuerit* Gal. I. 8. Cum vero sola revelatio divina articulum fidei non constituat, nisi quis historiam de caudis vulpecularum Samfonis, vel de asina Bileami, pro articulis fidei habere, atque cum Jesuitis Ratisbonensibus, lepidissimis capitibus, (qui pro artic. fidei *vel maxime, maxime* habendum esse contendebant, *quod canem habuerit Tobias, quodque is caudam motaverit*) explodi velit. Ut adeo mirari subeat, quem D. Calixtus p. 31. Cast. pungere voluerit, quando scripsit: *Non omne quod in scriptura probatur, mysterium est. Quis enim, ut alia nunc taceam, Patriarcharum & Regum Judaicorum res Gestas, Genealogiam Christi, itinera Pauli Veros aut Verissimos articulos fidei, imo mysteria fidei vocare audebit, etsi hæc omnia è scriptura innotescant & probentur?* Nemo enim, quod quidem sciam, nostrum unquam vel dixit, vel scripsit, ideo præcisè hoc vel illud artic. aut mysterium fidei esse, quia in Scriptura S. extat, sua igitur somnia exhibilat. Itaque requiritur *II. ut sit ad salutem necessaria propositio, seu jam ea necessaria sit mediate seu immediate, proximè seu remote, per se seu per alium, seu directè seu indirectè, id quod Domini Rintel. in Apol. sua p. m. 130. largiri videntur: Certum autem id fixumque ducimus, non immediato respectu nexuque illa quidem ad propositum finem necessaria esse, sed intermedio alio articulo, ejusve objecto: puta, quia vel hujus generis materia atque argumenti sunt, absque cujus cognitione si fuerit, finis ultimus, vel primus ille de fine ultimo articulus, non quantum satis est cognosci potest, vel continent aliquid eorum quibus non cognitis ac creditis fides no-*

*Requisita
arr. fidei
sunt*

*I.
Revelatio*

*II. Neces-
sitas ad
salutem.*

D

stra

stra non adaequatè apprehendit, certe non ad revelationis latitudinem exhaurit, illa salutis nostrae fundamenta ac principia, quae extra nos sita sunt, videlicet gratiam Dei, & meritum Christi: vel deniq; illud salutis principium, quod ex parte nostri & in nobis requiritur, fidem sc. necessario quodam respectu nexuq; attingunt. p. 131. quod ab ultimo Christianismi fine, vita sc. & salute aeterna, neq; natura, neq; cognitione, neq; intentione disjungi potest, id est necessarium creditu ad salutem. In ordine & necessitatis gradu distantia est, in substantia & necessitate nulla. Hæc duo itaq; requisita ubi sunt, ibi est *verissimus* fidei articulus. Stabit igitur loco majoris hæc propositio. *O. propositio divinitus revelata, ad salutem necessaria, est articulus fidei VERISSIMUS.* Ad salutem vero necessaria dicitur illa, sine qua salus nequit obtineri, qua absente, seu qua negata salus impeditur. Jam argumentor, *Omnis propositio divinitus revelata, ad salutem necessaria, est verissimus fidei articulus.* *Deus est, est propositio divinitus revelata, ad salutem necessaria.* Hebr. XI. 6. E. Hæc, Deus est, est verissimus fidei articulus. Amplius. *O. verissimus fidei articulus est ex S. Scriptura Theologo probandus.* *Existencia Dei est verissimus, ut demonstravi, fidei articulus.* E. *Existencia Dei est Theologo ex scriptura probanda & quidem necessario.* Et hoc erat evincendum.

Except. Ca
lixti.

N. X. Hic ramen Calixtus duo excipit. 1. non esse necessario probandum Deum existere, quia alias ex Philosophia innotescat. 2. non esse verum, nedum verissimum articulum fidei, 1. quia ex lumine naturæ innotescit. 2. quia mixtus est fidei articulus, non purus. De singulis pauca. Primum quidem Existenciam Dei non esse probandam, hoc nexu conatur obtinere. *Quicquid ex Philosophia & lumine naturæ notum est id non est necessario probandum in Theologia.* Existencia Dei est ex philosophia nota E. Resp. ad maj. Existenciam Dei posse duplici spectari, *vel quatenus est scibilis, vel quatenus est credibilis.* Applico. Quicquid ex Phil. notum est, id non est in Theologia probandum necessario, *ut sciatur: concedo totum argumentum.* Ab altera parte. Q. *ex lumine naturæ notum est id non est necessarium probatu, ut credatur? nego, pernego.* Præterquam enim

Resp.

enim quod superius jam contrarium invicte, ut spero, probatum est. Manifesta instantia infringi major facile potest. Christum esse verum Messiam Phariseis per experientiam constabat, videbant enim miracula id ipsum probantia. Rabbi, scimus quod à Deo veneris Magister. Nemo enim potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo, inquit Phariseorum Princeps Nicodemus Joh. III. 2. Opera quæ dedit mihi Pater, ut perficiam ea, ipsa opem, quæ ego facio, testificantur de me quod Pater miserit me. inquit Christus Joh. V. 36. Et nihilo minus ex S. Scriptura ipsis hoc necessario probandum erat v. 39. Scrutamini Scripturas, illæ sunt quæ de me testantur. Similem instantiam habemus II. Petr. I. v. 16. 17. 18. 19. Noverit itaq; Dn. D. Calixtus. *ἐκ ἀποποῦ, ἐν οἷδὲ πῶς ὁ μαρτυρεῖ, ἀλλ' εἰ ἀδὶ οἷτε ἡ μαρτυρεῖ, καὶ ὧς.* Non incommodum vel absonum esse id nos aliquo modo scire, quod discimus: Sed nos **HOC MODO SCIRE**, h. e. qua ratione & quomodo discimus, id jam scire, id vero est incommodum. Hæc jam olim Philosophus I. i. Anal. post. c. i. sub fin. Ita non est absurdum nos scire ex naturæ lumine Deum esse, & hoc ipsum ex scriptura addiscere, ut & credamus fide divina Deum esse, quia hic non est idem, sed **TOTO GENERE**, liceat hoc bona pace Tuadicere, *diversus respectus*. Unde præclare Chrysostr. super Matth. Hom. 49. Christianos volentes, scribit, firmitatem accipere fidei veræ, ad nullam rem confugere decet, quam ad S. Scripturam. Non enim creditur Philosophis, creditur Piscatoribus, non creditur Dialecticis, creditur publicanis, uti scribit Ambros. I. i. de fide ad Grat. cit. B. Dn. D. Meiss. Ph. Sob. p. 21. P. i. hoc unum est. Hornejus in Disp. Theol. III. §. II. ita objicit: quod Deus sit, non probatur, sed supponitur: sicut enim nulla cæterarum disciplinarum omnium objectum suum probat, sed astrorum scientia astra, numerorum numeros esse supponit: ita & doctrina de Deo Deum esse non docet, sed sumit: nec enim Theologia esse potest, nisi Deum aliquem esse detur, de quo agat. Hoc vero leve admodum est; ut enim nihil de eo jam dicam, à ratione modoq; disciplinarum naturalium ad supernaturalem Theologiæ habitum non semper licitum esse argumentari. Major Dn. Horneji, quæ hæc est, *Nulla disciplina*

Hornej.
Obj.

Resp.



plina, agens de Deo, Deum esse probat, sed sumit, atq; supponit, multis instantiis obnoxia est. Theologia Naturalis (seu jam Pnevmaticam, seu Metaphysicam tandem statuas mihi idem erit) est disciplina de Deo, Ergo ne non probat Deum esse, sed sumit? Ubi igitur tandem probabitur Dei existentia? in quonam habitu? si Theologia non probat Deum esse ideo, quia objectum ejus est; cur igitur SS. Trinitatem probat? annon & hæc objectum Theologiæ est? cur alia probat, quæ inter objecta numeranda sunt?

N. XI. Ut vero probet Dei Existentiam non esse verum artic. fidei duo proponit argumenta Cast. p. 23. sc. *ista capitula de Existentiâ Dei, Unitate Essentiæ Dei &c: non ALIQUO MODO ad fidem pertinere, sed esse veros fidei articulos est insulsa & inaudita novitas*, atq; absurditas. Nimirum insulso capiti omnia sunt insulsa *Verus articulus fidei est specialiter à Deo revelata, ET LUMINI NATURÆ IMPERVIA PROPOSITIO,*
vid. qua omnibus ad salutem cognitu absolute & quocunq; casu necessaria.
Antapolo. Sequitur D. Calixtus Dominos Rintelenses in Apol. p. 154. quorū *gia de modo allata definitio est: Licet aliqua propositio in scriptura divina ead. mo. nitus revelata contineatur, aliunde tamen etiam sive per experientiam, ad riam s. per lumen naturæ cognita est, cognoscive potest; ne ejusque nihil modi omnis propositio NB. nihil minus quam fidei articulus est.*
buc usq; rat pro se porro, Excell. Dn. D. Klotzium. Obiter hic nota Dn. responsum. D. Calixtum non negare Existentiâ Dei ad fidem aliquo modo pertinere b. e. credi propter auctoritatem Scripturæ, hoc tantum negat, esse articulum fidei verum, & verissimum, proprie dictum. Cast. *Theol.*
Nat. Diss. p. 23. ad n. 8. & p. 25. ea quæ de Deo naturaliter nota sunt non *III. 0. 17.* vult penitus credendorum numero eximi, sed tantum pro talibus haberi quæ non sunt pura seu mera fidei dogmata. Non purus autem artic. idem ipse est ac non verus. p. 24. *Aliquo modo ad fidem pertinere; articulum fidei mixtum esse; non verum & proprium art. fidei esse* Calixto æquipollent p. 22. n. 7. sic de linguâ constabit. Argumentum ipsius est hoc. *Nulla Propositio luminis naturæ pervia, sive per experientiam cognita est articulus fidei verus, verissimus, proprius.* Et qui dicit Propositionem lumine naturæ cognitam esse verum art. fidei ille insulsa & inaudita & *no va*

nova profert, & pueriliter ludit. Bone Deus quam imbelle ar-
gumentum! distingue inter sensum compositum & divisum & res
est expedita felicissime. N. propositio lumine naturæ nota
qua & quousq; talis, est artic. fidei, concedo totum argumentum.
At vero in sensu diviso posse aliquam prop. *qua (ut ut non qua)*
ex lumine Naturæ nota est, esse artic. fidei exiade manifestum
est: quia *Jesum fuisse Messiam verissimus erat art. fidei*, & tamen
per Experientiam notum erat Apostolis & Phariseis Joh. III. 2.
coll. c. V. 36. Petrus oculis usurpavit *Majestatem & honorem*
& gloriam æterni Filii Dei, & nihilominus, Christum esse Filium
Dei verissimus fidei art. erat 2. Petr. I. 16. *fs. ad veritatem* itaque
articuli fidei satis est, **VERE & PROPRIE IN VERBO REVE-**
LATUM ESSE, & ad salutem necessario referri: nec quicquam
veritatem impedire potest ea quæ aliunde (*non requisitive ut*
loquuntur) venit notitia. Quod si enim **VERE & PROPRIE**
potest *credi fide divina* ea, quæ ex lumine naturæ nota est pro-
positio, ut concedit Calixtus. Non patet quo minus **VERIS**
& **PROPRIUS** sit articulus, *si insuper de NECESSITATE ad*
SALUTEM constiterit, quam quidem de Dei Existencia nemo
unquam negavit, neq; etiam negare potest, de quo tam sum certo
quam de hisce meis oculis: Expende interim hanc ex penu uber-
rimæ Eruditionis Paternæ depromptam instantiam. *Resurrectio* *Apparuit*
mortuorum per TE & Parentem, ex Lumine Naturæ quoq; inno- *Theol. p.*
tescit. De cujus tamen assertionis veritate, quando ita vis, jam *156. cit. in*
contendere nil attinet, quamvis in promptu sint pondera doctis- *Cast. p. 6.*
simorum Patrum gravissima: concedam id Tibi *atenus*, quando *th. X.*
Tuo incommodo id statuis. Et tamen doctrina de Resurrecti-
one mortuorum *est summus fidei articulus*, ut hactenus ab omni-
bus conceditur, etiam à Dnn. Rint. in Apol. p. 131. Tuæ itaque
propositioni. *Nulla propositio lumine naturæ nota est articulus*
Fidei verissimus. Hanc contradictoriam oppono: *Quædam*
Propositio lumine naturæ nota est articulus fidei verissimus. Nam
Resurrectio mortuorum est verissimus fidei articulus 1. Cor. XV. 12.
Resurrectio mortuorum est ex lum. naturæ nota. E. Q. *quod lum.*
nat. notum est verissimus art. fidei. B. Gerhardum in hoc capite

2. arg.
Calixti

Resp.

fraudulenter videri posses adduxisse, Cast. p. 5. loquitur enim,
diserte de propositione naturæ lumine nota *formaliter & quata-
li*, non in sensu *diviso & materialiter* accepta: *Quæ naturaliter
de Deo cognosci possunt, EATENUS propriè fidei articuli non sunt.*
Et hoc est quod nos utraq; manu damus. Utrum vero alibi as-
ferat ea *etiam in sensu diviso* accepta non esse propriè articulos
fidei, Tibi equidem non credo, nisi locum ex eodem bona fide
attuleris. Reliqui quos pro Te adduxisti, iisdem instantiis con-
futantur. *Alterum argumentum* quo Calixtus utitur ita habet:
N. articulus mixtus est verus aut verissimus articulus fidei. Atqui
Propositio naturaliter nota, (qualis est hæc, Deus est,) est articu-
lus mixtus, quod fatemur. E. non est verus articulus. Vere
ridicula ratiocinatio. En Tibi simile argumentum. *Nullus The-
ologus mixtus est verus, aut verissimus Theologus. Calixtus est
Theologus mixtus.* E. Calixtus non est verus Theologus! Di me-
liora, hæc hostibus nostris! Anne Tibi *omne mixtum est non ve-
rum, non verissimum, non proprium?* an idem non merum &
non verum? *Cognitio Dei* ex lumine naturæ deprompta, est mix-
ta. Ergone non est vera? v. §. VII. Cast. *Ecclesia Lutherana* est
mixta ex variis crassis erroribus, si crassissimum audiamus Pa-
rentis Tui iudicium, adhæret enim *illaudabili dogmati ubiquita-
tis.* Ergone non est vera, verissima, propria? At vero Tute ipse
notas hanc consequentiam *in Examine* ad art. I. Proœm. Consens.
Rep. *Aliudq; contendis esse Ecclesiam veram, aliud puram.* Nec
sequi ais, Calixtus statuit Ecclesiam Luther. non esse veram, quia
ipsi impingit errores. Carissimorum Tuorum in Christo fra-
trum, Pontif. Calvin. *Ecclesia est mixta.* Ergone non est vera?
Amplius *Castigatio Calixtina est mixta* variis nugis, & ineptiis.
Ergo non est vera nedum verissima castigatio? ita est. *Elementa,*
ut communiter statuunt, sunt mixta, nec inveniuntur pura.
Nam de ignis elemento dicit Philosophus alicubi, dari magis *πυ-
ρεides* quam *πύρ.* Ergone non sunt vera? Ergo Elementum
ignis non est verum elementum? Quid tandem concludi posset,
si artem concludendi à Calixto quis addiscere vellet? Nimirum
*Calixtum non esse verum corpus naturale mixtum, quia omne cor-
pus*

ipus naturale verum est ex quatuor veris elementis compositum. At Calixtus non est ex 4. veris (quia ex mixtis) elementis compositus. Quid igitur erit noster Calixtus? ipse viderit. Ex quibus recte pensitatis manifestum est, propositionem de Existentia Dei (Deus est) quatenus ex lumine supernaturali innotescit, non ALIQUO tantum MODO ad fidem pertinere, i. e. inter credenda præcise aut præambula & præsupposita fidei, (in sensu Calixtino sc., alias omnino referenda est isthæc propositio inter eos articulos, qui *antecedenter* se ad fundamentum fidei habent, i. e. qui quidem fundamentum fidei intrinsecè non constituunt, necessaria tamen *prærequisita* seu *præsupposita* sunt v. B. Dn. D. König. Theol. Posit. p. 20. §. 149.) Sed inter *Veros, Veriores, Verissimos & maxime proprios pertinere*, & ut *Magnificus & Amplissimus Dn. D. Calovius* T. II. Syst. loquitur inter PRIMO PRIMOS. Patet etiam non insulsam novitatem, sed Calixtum insulsum potius disputatorem esse atq; imperitum. Atq; hæc de Existentia Dei sufficient. Constat enim plus satis *Calixtum, Hornejum*, quiq; cum ipsis faciunt, statuere Existentiam Dei non esse necessario probandam Theologo in Pædia Theologica, nec articulum *verum* aut *verissimum* esse. Et si quando dicis causa articulum fidei esse dicant, intelligere non verum, non proprium, *nihil minus quam articulum fidei*. Ut adeo non opus sit vel verbulo ad ea, quæ circa n. 9. 10. Cast. p. 25. ss. disseruit Calixtus, respondere fusius.

Th. II.

Operæ pretium fuerit jam de *Unitate* Dei aliquid egisse. Sicut autem superius de Dei Existentia, ita hic eodem modo procedendum erit.

UNITAS DEI, quousq; ex lumine Scripturæ nota est, ex necessitate debet probari: Est VERISSIMUS fidei articulus: & si relate spectetur MYSTERIUM insuper.

N. I. Ne confuse & intricatè disputemus, impedita prius expediamus, & involuta evolvamus. I. Dico rursus notanter:

quousq;

Unitas Dei quousq; vel quatenus ex lumine Scriptura nota est: Potest enim ex ratione & unitas Dei duobus modis spectari I. ut scibilis est ex lumine naturæ, cuius beneficio omnibus notum est, saltem esse potest, atq; constat etiam debet, Deum esse unum. Sicut enim ex eodem naturæ lumine constat Deum esse spiritum simpliciter independentem atq; infinitum; ita & singulis, vi luminis naturalis, eundem unum esse, constare potest. Implicat contradictionem independens & non unum esse. Ut πολυαρχία ἀναρχία, sententia est Athan. Orat. contra Gent. ita πολυθεότης ἀθεότης. Unum, h. e. indivisum in se, & quidem perfectissima, singularissima, simplicissimaq; ratione, ut propter infinitam suam perfectionem indivisus non solummodo sit, sed & simpliciter indivisibilis in plures adæquate tales qualis est ipse vid. Suarez: disp. Met. XXIX. l. II. & III. ut & XXX. Et agnovisse quidem ex principio Naturali Gentiles Unitatem Dei, vel ipsius Philosophi exemplo constat VIII. Phys. c. VI. L. XII. Met. c. VII. & ex libro de mundo. conf. just. Martyr de Monarch. Dei Aug. de C. D. L. IV. Arnob. L. III. contra Gent. disertissimus Lactant. L. I. Inst. c. V. &c. Statim in limine hic disceptat Calixtus in Cast. An hic de Deo conceptus sit naturalis sit verus, & cum re cognita congruens? qua fini vero id hic agat non usq; adeo exploratum est, an ut Veteres Helmstad. configat? an vero velit dudum desperatæ causæ subvenire? sc. Neq; Turcas, neq; Judæos esse idololatrias olim propugnavit: utrum nunc gentiles quoq; ab isto purgare crimine pro humanitate sua velit suspicio est, eo enim videtur tendere θ. VII. si conferatur p. 12. ad n. 1. Quod si & Judæorum & Muhammedanorū & GENTIUM Patronus per Calovianam calumniam (en os impudens, erubescere nescium) meretur appellari, qui asserit hos verum Deum agnovisse, & eousq; ab idolatria alienos pronunciat; poterunt socer Generq; simili modo non tantum B. Luth. & D. Bald. sed ipsum quoq; Apost. Paulum calumniari. Etenim non credo alium quam verum Deum hunc intellexisse quando ad Rom. I. 21. Gentes Deum agnovisse affirmat. Vix me contineo quin nescio quid Tibi ingeram, adeo omnia sunt insulsa & malitiosa quæ hic attulisti. Ne verbulo hucusq; respondere potuisti ad argumenta fir-

ta firmissima *Magnif. Dn. D. Calovij*, quæ vobis Patronis Judæorum & Turcarum opposuit *in appendice Sync. Calixt. p. 357. seqq.* Et præclare officio Te functum esse vanissimè persuades Tibi, si in Examine Tuo dicas, Te ideo respōdere noluisse, quod certum fuerit non posse Calovium ad saniolem mentem reduci. Quasi vero Dn. D. Calovius mente motus fuerit, cum Calixtinam absurditatem orbi literario ostendit, ut ad saniolem mentem reduci propterea debuerit. Et nihilominus calumnias viro integerrimo exprobras! Sed heus, Calixte, ubi Dn. D. Calovius scripsit, dixitve Parentem tuum GENTIUM Patronum extitisse? ubi ideo GENTIUM Patronus audit, quia asseruit has VERUM DEUM agnovisse? ubi etiam Pater tuus pronunciare potuit prædictos alienos esse eo usq; ab idololatria, quousq; Verum Deum AGNOVERUNT? sane ob AGNITIONEM VERI DEI præcise nemo vel absolvi ab idololatria, vel ejusdē criminis reus dici poterit! Ubi Paulus GENTES ab idolatria alienas pronunciat ideo, quod verum Deum agnoverint? quæ inepta hæc est consecutio: *Qui Calixtum Patronum Judæorum, & Turc. & Gentium vocat, quod hos verum Deum agnoscentes, ab idololatria alienos pronunciavit, is simili modo B. Luth. Bald. & ipsum quoq; Paulum poterit calumniari (en Calixti Callilogiam!) qui Gentes verum Deum agnovisse affirmat? anne simili modo, ut Pater, hi prædictos alienos ab idololatria pronunciant, quia dicunt verum Deum agnovisse? annon Te piget pudetq; Tui, nugarumq; Tuarum? sed hæc obiter, indigna enim sunt ulla responsione. Quod si Calixtus non imbellis istorum hominum Advocatus audire vult, tenetur scripto Caloviano respondere. Id vero faciet, opinor, ad Calendas Græcas. Interea cape hoc argumentum. Qui nesciunt QUID sit verus Deus & quis sit, illi non possunt invocare verum Deum Rom. X. 14. Judæi, Turcæ, & qui his jam superveniunt, gentiles nesciunt QUID & QVIS sit verus DEUS. Ita enim θ. V. Castig. *Quid Deus sit, nimirum Pater, Filius & Spiritus Sanctus SOLUMMODO ex revelatione Scripturæ discitur. conf. Joh. IV. 22. 23.* E. jud. Turcæ & Gentes non possunt invocare verum Deum. Sed ut quæ nostra sit de isto naturali*

E

conce

Conceptus
rationis
quousq;
verus?

locus act.
17. 23. ex-
penditur.

conceptu mens constet, dicimus quamvis *inadequatus* sit, nec
πᾶν θεῖον exhauriat, tamen *verum* conceptum esse, objecto re-
spondentem, dicitur enim ab Apostolo *veritas* Rom. I. 18. *verum*
esse dico, quousq; in applicatione ad hoc & istud, quod re ipsa
non est Deus, non erratur: quousq; non fermento peccati ori-
ginalis inficitur: quousq; non ut *Numen* *Μοῦνοπῶσαντον*, ut una
subsistens persona concipitur. Secus idolum est, figmentum
est, Ens rationis est. vid. Synchr. Calixt. Max. Rev. Dn. D. Calov.
p. 357. & invenies ibi quod agas. *Verus*, inquam, est ille de Deo
Unitatis conceptus, sed non ideo, quia *Athenienses* *ignotum De-*
um colentes, illum ipsum Deum coluisse dicuntur, quem postea Pau-
lus predicavit Act. XVII. 23. ad quem locum provocat noster Ca-
lixthus. Athenienses enim Unitatem Dei ignorabant & nega-
bant v. 16. 22. 23. Paulo pressius hic agendum. *Conceptus* in
genere est idea in intellectu aliquid representans. Ad quem
requiritur 1. objectum 2. hujus cum intellectu conjunctio,
non quidem secundum esse REALE, sed intentionale, ita ut per
imaginem suam res menti sistatur. *Conceptus* igitur *VERI DEI*
est noëma veri Dei in intellectu Deum representans. At vero
cum *VERUS DEUS* ipsis fuerit, ut clare loquitur Apostolus,
ignotus, edoceri velim à Doctore Calixto quomodo ex hoc qui-
em loco velit probare Athenienses non idolum sed verum, e-
undemq; unum Deum concepisse. *Ignorantia unius veri Dei*
& conceptus unius Veri Dei simul stare non possunt. Sicut cœci-
tas & visus, habitus & privatio in uno subjecto, ne quidem per
absolutam Dei potentiam, inveniri queunt. *Q. ignorat unum*
verum Deum, ille unum verum Deum non potest concipere. Ne-
go itaq; Athenienses concepisse unum verum Deum, quia igno-
rarunt verum Deum. Falsus igitur erat Atheniensium con-
ceptus de Deo, non verus, id quod vel sola Apostoli reprehensio
v. 22. 23. docere potest. Plura alias si lubet. Locum B. Luthe-
ri ex F. C. p. 503. conjungat, cum p. 407. atq; pro lubitu conci-
liet. Non incommode se mihi offert locus B. Lutheri T. VIII.
Witt. Die Starrheit des Straußen ist bekant / welcher / so er sei-
nen Hals irgend mit einem Zweiglein verdeckt hat / vermeinet er
sey

sey ganz bedeckt. Also thut ein gottloser Lehrer/wan der irgend einē
Spruch in der Schrift (in Luth. Bald.) ergriffen hat/ meinet er/
er habe eine feine Meinung/ und siehet nicht/ daß er allenthalben
bloß und ungewapnet ist. 2. Spectari potest unitas Dei ut credibilis
est ex lumine scripturae ideo enim tot loca consignavit Spiritus
Sanctus ut ex illis fides nostra de Dei unitate firma, certa & im-
mota sit. Deut. IV. 35. *Vidisti ut cognoscas Dominum esse Deum,*
& nullum amplius esse præter eum conf. v. 39. c. VI. 4. *audi Israel
Dominus Deus noster Deus unus est.* Esa. XLV. 5. *Ego Dominus,*
& nullus præterea, & præter me nullus est Deus. conf. I. Cor. VIII. 4:
Sed quid opus est in re manifesta verbis? illo modo considerata
dicitur naturalis: hoc vero, supernaturalis. Non quod re ipsa &
ex parte objecti sit duplex, absit ut hoc quisquam statuatur nostrum:
non adeo obtusa gestamus pectora Pœni; sed ratione principii co-
gnoscendi formalis sub quo illa nobis innotescit, quod cum du-
plex sit, naturale unum, alterum supernaturale, hinc fit, ut per
extrinsecam denominationem ipsa unitas dicatur vel naturalis
vel supernaturalis, sine ulla mutatione objecti. Atq; hoc sensu
scripsit Dn D. Deutsch. *doctrinam de unitate Dei quatenus ex na-
tura constat, & quatenus ex scriptura patet non prorsus eodem mo-
do se habere; & recte quidem ac ex præscripto aliorum: audia-
mus hic Calixti præceptorem Dn. D. Hornejum. Disp. I. Theol. Na-
turalem & supernat. & Disp. III. §. VIII. p. 239. Et ita cognitio
Dei revelata se in iis habet, quæ alias Naturaliter ETIAM cogno-
scuntur h. e. quæ præcise naturam & attributa divina spectant.
Quanquam autem ea SIC ETIAM TOTO GENERE differt à co-
gnitione Dei naturali ex quibus patet quid de verbis Calixti
Cast. p. 12. ad 1. habendum sit; Ergone Existentia Dei ejusdemq; Uni-
tas quam docet ratio ab Existentia & unitate Dei quam docet reve-
latio est diversa? an forte in mente ipsi est alia unitas Philosophica,
alia Theologica? Explicet hoc mysterium, nam ego illud hæctenus
non capio, sed existimo unius ejusdemq; rei semper & ubiq; eandem
esse rationem formalem p. 13. Oedipo hic opus est, qui differen-*

riam revelet inter unitatem Dei naturalem & supernaturalem. Et p. 14. n. 2. formale, objectum ipsum quod cognoscitur non diversificat, ut loquimur, Deum existere, Deum unum esse, hac inquam, aliter se non habent, seu ex principiis rationis evidenter sciuntur, seu fide propter auctoritatem Dei dicentis etiam credantur. At vero quis potest præstare hanc seu inadvertentiam seu ignorantiam Tuam? cur non olim à Præceptore didicisti, quæ sit differentia inter scire & credere? quid sit Theologiam revelatam IN IIS ETIAM QVÆ Naturaliter nota sunt à naturali Dei cognitione TOTO GENERE differre? quod si hujus scita melius memoria mandasses nullus jam tibi quærendus esset œdipus, qui istam differentiam revelet. Perinde esset ac si quis vellet Calixto duplicem unitatem tribuere fatenti & credi & sciri unitatem. Ergone alia est scibilis in mente ipsi unitas, alia credibilis? vides itaq; quomodo lapis subinde in proprium caput decidat. II. Dico; *si relate spectetur*. Potest enim *ut revelata est*, Unitas Dei duplici quoq; modo considerari. *Vel absolute; vel relate*, denuo sine ulla intrinseca mutatione unitatis *in se* spectatæ. Sicut enim una eademq; numero Essentia divina, ut ut sit simplicissima, potest duobus modis considerari, *vel absolute*, & citra respectum ad tres personas: *vel relative* in ordine ad tres personas divinas. Ita non absurdum fuerit adeo unitatem Dei, ut ut à parte rei una sit & simplicissima, & absolute & relative spectari, sine omni variatione sui intrinseca. Quando quidem vero vocabulum *absolute & relative* ambiguum est, ante omnia æquivocatio tollenda, quæ sola hanc totam Castigationem Calixto extorsit: quamvis & ipse, ni studio voluisset sophisticari, eandem facile expedire potuisset, & debuisset etiam, si partes & officium Boni Doctoris præstare voluisset. *Absolute* in genere dicitur id, quod non habet respectum ad aliud. *Respectivum*, quod habet respectum ad aliud. Cum autem terminus, seu id, ad quod aliquid respectum habere potest, variet; denominatio etiam $\tau\grave{s}$ absoluti & respectivi varia esse potest. Ut adeo aliquid, *respectu diversorum*, & absolutum & re-

specti

II. Obs.
Unitas Dei
dupliciter
spectatur.

Solutum
spectivum quid?

ſpectivum dici queat; ut hæc ſuo loco **Metaphyſici** exponunt
fuſius. Et ad præſens quidem negotium quod attinet; Unitas **Absoluta**
Dei poteſt duplici ratione absoluta & relativa ſeu reſpectiva vo- **duplex:**
cari **1. absoluta ab operatione**, ſicut multa alia attributa Dei, **1.**
Perfectio, majeſtas, beatitudo, immenſitas, & alia plura, abſo-
luta vocantur, quoniam eſſentiam Dei deſcribunt abſolutè &
in ſe, citra reſpectum ad operationem; cum alia quædam attri-
buta reſpectiva dicantur, quoniam Eſſentiam Dei deſcribunt re-
ſpectivè, ratione *ἐνεργείας*, v. g. Potentia, juſtitia Dei. Hoc
ſenſu unitas Dei inter attributa absoluta, non reſpectiva refer-
tur ab omnibus Theologis, ut fatetur Calixtus Caſt. p. 13. **2.**
absoluta vocari ſolet à Dn. D. Deutsch. ratione revelationis super-
naturalis, & hoc reſpectu absoluta unitas ipſi eadem eſt ac mere
naturalis. *Relativa vero supernaturalis*, adſcribam propria i-
pſius verba. *Publica ſymbola docent aliud, quod unitas Dei re-*
velata, non ſit absoluta, vel merè naturalis; Sed verè relata & su-
pernaturalis. **θ. XI. Diſp. de Deo uno.** Relata itaq; vocatur ex
duplici capite, & *ratione principii ex quo innotescit, & ratione per-*
ſonarum, quæ in unitate Eſſentiæ ſubſiſtunt. Mox enim ita per-
git: *Hinc credimus juxta, Symb. Apoſtolicum in Deum videlicet u-*
num, qui ſit Pater, F. & Sp. S. & juxta Symb. Athan. Fides Ca-
tholica de uno Deo hæc eſt, ut UNUM DEUM IN Trinitate, &
Trinitatem IN UNITATE veneremur. Nimirum voluit imo eti-
am debuit Dn. D. Deutsch. de unitate Dei loqui *non prout ipſa*
ſubſtat abſtractivis & Transcendentalibus conceptibus, qua ratione
Metaphyſico eandem conſiderandam relinquit: ſed *prout à par-*
tere rei exiſtit in incomprehenſibili S. S. Trinitatis mysterio, ſicut i-
pſa quoq; S. Scriptura eandem cum hac relatione ſpectandam ex-
hibet I. Joh. V. 6. *Tres ſunt, qui teſtificantur in cælo, Pater, λόγος,*
& Spiritus S. & Hi Tres unum ſunt. Hunc in modum de unita-
te Eſſentiæ divinæ etiam B. Hulſem. in Brev. Suppl. c. II. **θ. III.**
loquitur: *Unitas divina Eſſentiæ, quam credunt & colunt Chriſtiani,*
non eſt illa Transcendentalis & Eminens Unitas Entis ſupremi,
per naturalem hominis corrupti diſcurſum inveſtigabilis: Hæc enim
non poteſt generare fidem divinam & ſalvificam; SED EST PLA-

Calixti ex
ceptio.

Resp.

NE SINGULARIS, & ex SOLA divina revelatione cognoscibilis
Job. I. 18. Solus Filius, qui est in sinu Patris, revelavit nobis quis &
qualis sit Deus, Deum enim nemo vidit unquam. Matth. XVI. 17.
Quod Christus sit Filius Dei vivi, hoc caro & sanguis non revelavit
Petro. Contra Photin. Arm. & Hug. Grot. L. 1. de Ver. Rel.
Christ. p. 6. Non spero Calixtum in hac clara atq; diserta ex-
plicatione quicquam jure desiderare posse. Tamen Calixtus
hic, quod exagitaret, invenire potuit. Cast. p. 13. Sed pergit
tamen Gener, publica symbola docent aliud. Quodnam vero ali-
ud? Quod unitas Dei relata (revelata debuit dicere) non sit abso-
luta vel mere naturalis, sed verè relata & supernaturalis. Hæc
novas distinctiones: ubi vero illæ habentur in publicis symbolis? Hæc
ætenuis, nisi me omnia fallunt, Unitas Dei inter attributa ejus abso-
luta est numerata. Nunc unitas Dei etiam vere relata prodit. Oe-
dipo hic opus est, qui exponat quomodo Unitas Dei intelligenda verè
relata & non absoluta. Sit nova distinctio, quid tum? dum-
modo dogma per eandem explicatum non sit novum & S. Scrip-
turæ, librisq; symbolicis contrarium, qualia ex vestra schola
Ecclesiæ obtruduntur hodie plurima, vide Magnif. Dn. D. Calo-
vii Syncretismum & Harmoniam & lege, atq; responde & tunc
eris magnus Apollo. Turpe est doctori cum culpa redarguit
ipsum. Sed plerumq; non videmus ea quæ in tergo sunt. Pos-
sum hic usurpare, quod Molanus Dn. D. Kubnio terminorum
novitatem objicienti ex Lucretio reposuit

Desine quapropter novitate exterritus ipsa
Expuere ex animo rationem; sed magis acris
Judicio perpende: Et si Tibi vera videtur
Dede manus, aut si falsa est accingere contra.

In publicis Symbolis habetur non quidem verbotim, sed quoad
rem & sensum; & ibi quidem, ubi unum in Trinitate Deum, &
Trinum in unitate profitentur; ibi, ubi docent in una Essentia
divina Tamen tres esse Personas ejusdem Essentiæ. Concedo
unitatem hæcenus inter absoluta numeratam esse, eo sc. sensu
quo absolutum vocatur, quod non dicit respectum ad operatio-
nem. Inde tamen non colligitur quod non sit, dicere possit relata
hoc

hoc sensu, quo illa Unitas in Tribus reperitur personis. Res ipsa
expedita est & intellectu haud difficilis, ut nullo planè œdipo
opus sit. Ubi igitur de sensu orthodoxo constat, quid de verbis
litigamus? Dummodo nihil monstri alatur sub portentoso voca-
buli umbraculo: alias *omnia hæreticorum verba nobis meritò suspe-*
cta sūt ut, *Atanas. Orat. IV. cont. Arr. loquitur. Pergit Castigator.*
Verum quomodo unius individua divina Essentia in pluribus inter
se se realiter distinctis personis Existencia, & harum in ipsa illa Es-
sentia identificatio ad unitatis conceptum pertinet? Et enim quando
Deum ut unum concipio, tunc abstraho ab omnibus, quæ alias de Deo
sunt revelata, & ad illa animum tantum adverto, quæ præcisè unita-
tis conceptum ingrediuntur. Formalis autem ratio unitatis absolvi-
tur in negatione multitudinis, quod nempe Deus ita est unus, ut sit
unicus sive unus tantum. Personarum igitur Trinitas cum extra ra-
tionem unitatis sit constituta, hanc neq; immutat neq; aliam facit ab
unitate quam rationis lumen docet, consistente nimirum in eo, quod
Existentiæ divinæ nihil possit coexistere ejusdem cum ea rationis.
Hanc Dei unitatem docet revelatio, hanc eandem, nec aliam, docet
recta ratio. Pernicies atramenti, barathrumq; papyri! Concede-
dimus Personarum Trin. non ad conceptum Unitatis abstractivè
& Metaphysicè consideratæ pertinere, at non tam est quæstio,
quid unitas in conceptu suo formali denotet, quam quomodo à
parte rei illa unitas in Trinitate, & Trinitas in unitate subsistat.
Nemo unquam somniavit quod Personarum Trinitas immutet
formalem unitatis abstractivè consideratæ conceptum. Interim
negari nequit, quod sicut Essentia, ita & unitas utroq; modo ab-
solutè & relatè spectari queat. Expendantur modo verba i-
psius D. Calixti, quæ in Examine p. 47. habet, & quoad rem ibi in-
venientur, quæ Dn. D. Deutsch. dicto modo effari voluit. III. dixi
mysteriū esse. Hæc vox unde deducatur v. apud Isaac. Casaubon. E-
xerc. AntiBar. XVI. n. XLIII. p. m. 309. apud Cic. denotat rem arca-
nam non facile aliis committendam L. IV. ad Attic. De clar. O-
rat. in IV. Tuscul. in Scriptura S. hæc vox mysterii quandoq; latius,
nonnunquam strictius usurpatur: illo modo totam revelationem
mysterii nomine indigitat. Matth. XIII. v. 17. Vobis datum est nosse
myste-

Obj. III.

Mysterium.

mysteria regni caelorum. i. e. verbum divinum confer. i. Cor. II. 7^o,
cap. IV. 1. cap. XIII. 2. Rom. XVI. 25. *Hoc modo peculiare aliquod*
& præ aliis occultum, abstrusum & rationi nostræ impervium
dogma, Eph. V. 32. *Mysterium hoc magnum est*: Verum ego lo-
quor de Christo & de Ecclesia, i. Tim. III. 16. Extra Controver-
siam *magnum est pietatis mysterium*, Deus manifestatus est in car-
ne. v. Hornej. Disp. I. ̄. XXXIX. Disp. IV. s. 1. ̄. II. p. m. 352.

*Stat. Con-
versæ.*

N. II. His ita explicatis ad cardinem hujus Controversiæ
pervenimus. Tria expedienda sunt. I. an unitas DEi probanda sit
Theologo? II. an sit articulus fidei? III. an sit mysterium Fidei?
in primo & secundo capite licebit nobis esse brevioribus: Cum
pleraq; quæ de Existentiâ diximus superius, hic applicari possint
atq; debeant. Sit ergo nostra Calixto opposita assertio hæc.
Unitas Dei quatenus ex Scriptura innotescit est Theologo probanda;
necessario Calixtus dicit: Unitas Dei quatenus ex Scriptura innote-
scit non est necessario probanda Theologo. Fundamenta nostræ
assertionis ex dictis peti possunt. Nolo cramben bis coctam ap-
ponere. Audiamus, tamen nostrum Megalandrum T. 1. Lat.
Resp. ad Dial. Sylvestri Prieratis. *Si apud jure consultos Prover-*
bium recipitur: Turpe est juristam loqui sine textu; Tu vide, quam
sit honorificum, Theologum (qui minime omnium debet NB) loqui
sine textu, quem Apostolus NB jubet calceatum esse pedibus in præ-
paratione Evangelii; & Episcopum potentem, non NB in Syllogismis
& opinionibus hominum, sed in doctrina sana, nimirum ea, quam
alibi divinitus inspinatam vocat. Idem Tom. III. Lat. sup. Psalm.
XLV. *Qui incumbitis Sacris literis, ante omnia constituite, NB*
quid credatis in religione Christiana, ut habeatis articulos fidei
munitos NB bonis textibus Scripturæ S. & benè meditados. Deinde
quando tecum volunt disputare, vel Satan, vel ejus instrumenta NB
Heretici (Manichæi, Valentiniani, Marcionitæ Unitatem Dei ne-
gantes) tunc objice eis illos textus, & desere eos, dicens, *cavillatio-*
nes ac speculationes Tuas audire nolo, hoc enim dicit NB sanctus,
qui me monuit NB ut audirem, & inclinarem aurem. Hæc sine
dubio saniora Calixtinis nugis videbuntur omnibus. Quanquam
etiam D. Calixtus in cast. ̄. III. allatis in medium S. Scripturæ di-
ctis

ctis unitatem Dei probet, id tamen ex necessitate fieri negat,
Hinc illa emblemata Cast. p. 19. Si alibi jam tum tractata &
demonstrata Theologia auditoribus sufficienter innotuerunt, quæ
tanta necessitas est aliunde in cumulum demonstrari? præsertim cum
Existentiæ & unitatis Divinæ, in sese spectatorum notitia, per alte-
rum illud revelationis lumen, nec aliter, nec plenius demonstraretur.
Et p. 17. Quæcumq; de Existentiâ & Unitate Dei in sese spectatis
lumen naturæ docet, eadem, nec plura, nec pauciora de his ipsis in sese
spectatis Scriptura docet. Unde porro sequitur, eum qui admittit
Theologum illa quæ de Existentiâ & unitate Dei in sese spectatis, ex
lumine naturæ innotescant, non teneri probare quatenus inde inno-
tescunt, eundem quoq; admittente, Theologum non teneri probare ea
quæ de iisdem è Scriptura innotescunt. Sed prius facit pullus Ca-
lovianus. E. etiam posterius, & ita agens sibi inepte obloquitur. Ra-
tio autem Consequentia inde est manifesta, quod nempe Existentiâ &
unitas Dei quando in se spectantur, quatenus sive in quantum è lu-
mine naturæ innotescunt, eatenus sive in tantum è lumine quoq; re-
velationis innotescant. Vel brevius: de Existentiâ & Unitate Dei in
se (præcisa person. Trinitate, quæ ad formale Unitatis Dei non spe-
ctat) consideratis, nihil amplius è Scriptura quam natura innotescit,
nec prior è Scriptura hausta notitia posteriore, quam natura suppe-
ditat, est locupletior. Næ Calixtus facit intelligendo, ut nihil
quicquam intelligat! duplex argumentum Calixti est. Primum
ita habet: Quicquid jam tum alibi tractatum & demonstratum
sufficienter innotuit Theol. auditoribus, id non est necessario ex
Scriptura probandum. Unitas Dei &c: Resp. est facilis ex dictis.
Unitas Dei ut scibilis in Phil. sufficienter tractata & demonstra-
ta. Ergone ut credibilis est ex Scriptura non debet necessario
probari? Cui bono igitur eadem tam in V. quam in N. T. o-
mnibus ferè paginis inculcatur? Cur tam graviter Deus popu-
lum suum ita alloquitur. Audi Israel Dominus Deus tuus Jeho-
va unus est. Deut. VI. 4. cur tanta animi, ut sic dicam, commo-
tione Deus noster Es. XLV. 5. ait. Ego Dominus & nullus præte-
rea; præter me nullus est Deus? si Calixtum roges pro sua trans-
marina sapientia dicet non opus esse, nullam necessitatem effla-
gitare

Argum. I.
Calixti.

Resp.

Arg. II.
Calixt.

Resp.

gitate ut incumulum demonstratur unitas. jam alibi sufficienter Populo Israelitico innotuisse Dei unitatem. At objectat, quod alterum est: *Scriptura de unitate Dei in se spectata eadem, nec plura, nec pauciora, nec aliter, nec plenius tradit, quam lumen naturæ. Nihil amplius est scriptura, quam natura innotescit de unitate Dei. Illa notitia hac non est locupletior.* Unde argumentum insolubile sc. Ex quo eadem nec plura, nec pauciora, nec aliter, nec plenius de unitate Dei in se spectata innotescunt quam ex lumine Naturæ, ex eo unitatem Dei in se spectatam probare non tenemur. Atqui ex Scriptura S. nec plura, nec pauciora de unitate Dei in se spectata innotescunt quam ex lumine Naturæ. E. Ex Scriptura unitatem Dei in se spectatam probare non tenemur. Prorsus ἀθεολόγως! Nisi nomen Tuum Castigationi huic præfixtum esset, eo adduci non potuissem abs Te eandem profectam esse. Neq; enim credidissem tantam væcordiam homini Theologo, eidemq; Doctori & Professori inesse potuisse. Sane eadem opera plurima tanquam non necessaria expungis ex Scriptura. Scriptura S. nec plura nec pauciora *de creatione in se spectata* (præcisus circumstantiis temporis, modi &c. quæ formalem rationem creationis non ingrediuntur, nec immutant) tradit quam lumen naturæ; nam ex hoc constat quod sit productio ex nihilo pure negativo, idem quoq; ex Rom. IV. 17. & Hebr. XI. 3. patet. E. creatio non est docenda & probanda ex scriptura. Item de *Creatione* non plura scimus nec pauciora *ex Paulo, quam ex Genesi, nec aliter, nec plenius.* E. ex Paulo non est probanda. Nulla ergo fuit necessitas, ut Paulus iteratis vicibus eadem subinde inculcasset. Amplius: Eadem, nec plura nec pauciora *Evangelista Job.* suis auditoribus scripsit quam quæ annunciavit, E. hæc scriptio non erat ipsis necessaria? quæ tanta necessitas est incumulum eadem per scripturam ipsis demonstrari? Eadem etiam, nec plura, nec pauciora in se spectata *dogmata salutis* Paulus in suis Epistolis comprehendit, quam Moses & Prophetæ prædixerant Act. XXVI: 22. collato c. XX. 27. Ergo Paulinæ Epistolæ non sunt necessariae ad probanda fidei dogmata in se spectata? E. superfluous est labor iste. Capis, opinor, quam in-

cir

circumspectè, ne quid durius dicam, majorem Tuam formaveris. Deinde limito. *Ex quo eadem, nec plura, nec pauciora* (sed occur pauciora?) *sub eadem ratione assentiendi, nec certiora, sinceriora, faciliora, puriora* de Unitate Dei in se spectata innotescunt quam ex lumine naturæ, ex eo Unitas Dei non est Theologo probanda necessario. Sic transeat major. Et negatur minor. Atqui ex scriptura eadem, nec plura, nec pauciora *sub eadem assentiendi ratione, nec certiora, nec sinceriora, puriora, faciliora de Unitate in se spectata innotescunt?* falsa est hæc minor. Esto enim, eadem nec plura, nec pauciora de unitate Dei in se, spectata haberi ex Scriptura, quam ex lumine naturæ, tamen eadem non sub eadem ratione assentiendi innotescunt, adeoque aliter, nec sub æquali certitudine, facilitate, sinceritate, puritate atq; perfectione ex utraq; innotescunt. Ergo omnino necessario ex Scriptura Unitas Dei probanda est, nimirum ut fide divina credatur, quæ non nisi in revelationem resolvi potest, ut infallibili certitudine de eadem constet &c. denuo remittendus est noster Calixtus ad suum Præceptorem Dn. D. Hornejum Disp. Theol. P. I. Disp. III. S. I. p. m. 238. §. V. Existimarim ego hætenus cum omnibus Orthodoxis illam naturalem de Deo notitiam languidam & imperfectam, imò fere nullam esse, & cum supernaturali ne comparari quidem posse. Par est ut iudicium, judiciosissimi Theologi B. Martini Chemnitii hic audiamus, ut exinde conjicere queamus, quam præclarè in dies proficiat Calixtus. Ita vero ille in LL. CC. p. m. 20. *Quæ, qualis & quanta est illa notitia naturalis, & quousq; progreditur?* verè loquendo: *aut Nulla, aut imperfecta, aut languida est. NULLA: quia de gratuita remissione peccatorum nihil novit tota Philosophia: illam enim filius Dei è sinu æterno Patris prolatam revelavit Ecclesia Job. I, 18. Matth. XI. 27. I. Cor. I. 21. IMPERFECTA: quia gentiles aliquam tantum particulam legis noverunt. De interioribus vero cultibus primæ tabulæ, nihil certi vel novit, vel statuit ratio: tantum de quibusdam externis & civilibus negotiis docent quidam gentium Philosophi. Interea miscent multa ἀτοπα καὶ ἑσδόξα, de quibus nec inter ipsos satis convenit. LANGUIDA: quia etiamsi im-*

Chemnitii,
de Nat.
Theol.

F 2

pres.

pressum est humanis mentibus, esse Deum, & precipere obedientiam juxta discrimen honestorum & turpium; tamen assensio non tantum languida est, sed horrendis dabitacionibus saepe excutitur. Sicut extat pulcherrima descriptio in 1. Tuscul. ubi Cicero disputans de immortalitate animae, dicit ad Antonium: Evolve diligenter librum Platonis, qui est de anima, amplius quid desideres nihil erit. Feci mehercle, inquit Antonius, & quidem sapius: sed nescio quomodo dum lego assentior, cum posui librum, & mecum ipse de immortalitate animarum cogitare coepi omnis illa assensio elabatur. Et p. 21. Ex collatione istorum librorum (M. Tullii de Natura Deorum) & nostrae doctrinae, quae desumitur ex verbo Dei, evidentissime cognoscent, quanta gentilium, etiam SAPIENTISSIMORUM TENEBRÆ de vero Deo fuerint, & quanta lux divina gratia nobis sit communicata. Hec ille. At Calixtus noster nec plura nec pauciora de unitate Dei tradere scripturam, quam lumen rationis audacter affirmat. Ut ut interim naturalem notitiam & valde languidam & imperfectam esse θ. V. p. 3. Cast. fateatur.

ostenditur
Calixt. cō-
tradictio.

N. III. Volebam recedere ab his nugis. Verum quoniam inepte obloqui sibi Dn. D. Deutsch. garrit, videbimus annon ipse sibi potius contradicat? An is sibi inepte obloquitur, qui asserit, Unitatem Dei supponi a Theologo ut scibilem, & tamen probari ut credibilem? Nulla hic prorsus contradictio, nullum obloquium. Tu vero in eo tibi contradicis, quando dicis θ. V. p. 3. Cognitionem Dei & attributorum ex lumine natura esse valde languidam & imperfectam & postea p. 17. scribis scripturam nec plura, nec pauciora de Existencia & Unitate Dei in se spectatis docere, quam lumen rationis. En argumentum ostendens Tuam inadvertentiam. Lumen natura perfecte docet Exist. & Unitatem Dei in se spectatam. Quia in tantum de hisdem nos instruit, in quantum Scriptura Sacra. Lumen natura valde languide & imperfecte nos de iisdem instruit. θ. V. E. Quoddam quod imperfecte & valde languide instruit, illud perfecte instruit. Nobis interim vehementer placet sententia Chrysostomi in Psalm. 95. Non oportet NB. quicquam dicere sine testibus solaq; animi cogitatione. Nam si quid dicitur absq; scriptura, auditorum cogitatio claudicat, NB. nunc annuens,
nunc

nunc hæsitanſ, & interdum ſermonem ut frivolum averſans, interdum ut probabilem NB. recipiens. Verum ubi eſt ſcriptura divinæ vocis prodiit teſtimonium, & loquentis ſermonem, & audientis animum confirmat. Hæc diſerta & ſana ſunt, quæ ideo peculiari nota ſignare, volui, ne frivolam Bellarmini L. IV. d. V. D. c. XI. exceptionem mihi afferre poſſis.

N. IV. Secundo quæritur *an Unitas Dei ſit articulus fidei?* volumus hanc quæſtionem intellectam non ſolum de Unitate Dei relative ſpectata, quatenus dicit reſpectum ad Tres Perſonas: ſed etiam de Unitate absoluta, quatenus attributum Dei dei. absolutum, reſpectu ſc. operationis, ut ſupra explicavimus, denotat, in quantum ex Scriptura Sacra nobis innotescit. Hanc dicimus eſſe articulum fidei, h. e. proſitionem divinitus revelatam, ad ſalutem neceſſariam. Calixtus negat Unitatem Dei in ſe ſpectatam (h. e. præciſa Perſ. Trin, quæ ad conceptum Unitatis non pertinet) eſſe verum aut propriè dictum articulum fidei. Non attinet idem bis repetere. Supra fuſius hanc rem deduxi. Hic idem argumentum volo repetitum. Cui alterum ſubjungo ex A. C. deſumptum. *O. proſitio ob cujuſ negationem quis dicitur propriè Hæreticus eſt articulus fidei veriffimus.* Hæc proſitio apud Calixtum tam eſt certa, quam quæ certiffima. Nemo enim ejus judicio Hæreticus dici meretur, niſi qui aliquem fidei art. propriè ſic dictum negat. Atqui hæc proſitio, Deus eſt unus, eſt talis ob cujuſ negationem quis propriè dicitur hæreticus, quod ex Aug. Confess. art. I. de Manichæis manifeſtum eſt. E. Hæc proſitio, Deus eſt unus, eſt articulus fidei veriffimus.

N. V. Tertio quæſitum eſt inter Dn. D. Deutſchmann. & Calixt. *an Unitas Dei ſit inter fidei myſteria numeranda?* affirmantem hoc Dn. D. Deutſchm. Calixtus *abſurda novitatis* inculcat, ſicut ex inſcriptione Caſtigationis patet. At ex præmiſſis res manifeſta evadit. *Myſterium* propriè ſic dictum eſt arcanum extra humanæ rationis conſpectum & ſupra omnem intellectum poſideretur. At vero hoc modo ſe habere Unitatem relate ſpectatam, quâ unum in Trinitate, & Trinum in Unitate conſitemur; à ne-

mine negari, ne à Calixto quidem, potest. Id solum agit viti-
litigator, ut mutato statu controversiæ persuadeat imperitiori-
bus litem *de Unitate abstractivè & metaphysicè* considerata esse,
cum tamen de illa unitate, *qua & in quantum in Symbolis*, ab u-
niversa Catholica Ecclesia receptis, docetur, *quæ respectum ad*
Tres personas involvit, fuerit disceptatum, dimissa illa *Philoso-*
phica & Transcendentali Unitate Dei, quæ quam vagabundis
speculationibus & incertis disputationibus obnoxia sit, nemo
est qui ignoret, si solum forte Calixtum exceperis: videatur in-
terea *Magni nominis Theol. B. noster Chemnit.* in locis: breviter
de illa Unitate, de qua in S. Scriptura dicitur *HI TRES UNUM*
sunt. Ego & Pater Unum sumus, quæstio erat, quam relativam
Unitatem non obscure *S. August. L. I. de Trin.* insinuavit: *De*
hac re summa & excellentissima cum modestia & Timore agendum
est, & attentissimis ac devotis auribus audiendum, ubi queritur U-
NITAS Trinitatis, Patris, Filii & Spiritus Sancti quia nec periculo-
sus alicubi erratur: nec laboriosius queritur, nec fructuosius inveni-
tur. Quæ Aug. verba B. Chemn. iudicio in tota Tractatione de
Deo semper ob oculos versari debent. Hanc & non aliam uni-
tatem Sacræ Literæ inculcant nobis, ubi ubi agunt de uno vero
Deo, utut hæc ipsa absoluta alio sensu à Theologis dicatur, ut
toties dictum: Scriptura enim docet, *Non tantum* (verba sunt
D. Horn. Disp. IV. S. II. §. XIX. p. m. 384.) *UNUM esse sum-*
mm, sed UNUM etiam solummodo verum Deum: nam præter-
quam quod natura ipsa docet, Deum verum esse non posse, qui sum-
mus non est, SCRIPTURA NON UNUM TANTUM DEUM
SIMPLICITER, sed UNUM VERUM DEUM esse affirmat: ita
enim Christus ipse: ut cognoscant Te solum verum Deum. Nullus
ergo DEUS VERUS est, nisi Pater Christi, nec quisquam verè Deus,
NISI QUI UNUS & idem cum ipso, ut de Filio & Spiritu Sancto
FIDES tradit. Hæc ille. Nemo itaq; nisi malitiosus obtre-
tator hanc ipsius Dei sapientiam *novam & musteam insipien-*
tiam vocat: qua de re aliquando uni Trino iudici rationem
reddet.

N. VI. Quoniam autem D. Calixtus invidia actus Do-
mino.

minorum Wittebergenſium articuloſ fidei novam & muſteam
inſipientiam calumnioſè vocat, ſimilia coronidis loco ex caris-
ſimi ipſius in Chriſto fratris atq; honorandi D. Curtii diſſertatione
apponamus: iſ poſtquam requiſita articulorum fidei expoſuiſſet;
enumerationem eorundem inſtituit p. 48. 49. ſs. & talem eſſe
NOTITIAM DEI, quam abſolutè ad ſalutem neceſſariam Apoſtolus
Hebr. XI. 6. demonſtret: Unum Eſſentiâ, Trinum perſonis &c. quæ
num ipſi quoq; ſordeant, ego equidem ignero. Et hæc hæc-
tenus de duobus iſtis capitibus pro ratione temporis ad Calixti
Caſtigationem reſpondere volui. In poſterum niſi melius Ca-
lixto rebus ſuis conſulere poterit, dicemus ipſi neq; conſilium,
neq; modum ineſſe. Quod ſi vel Calixtus ipſe, vel ipſius diſci-
puli ad hanc ſcriptionem aliquid dicere voluerint, id non inju-
ſtè rogo, ut ſtylo Theologiſ convenienti utantur, & obſervato
capite Controverſiæ conſequenter diſputent, quod niſi fecerint
vel nulla reſponſione digni unquam judicabuntur, vel ſi quæ
volunt dixerint, quæ non volunt audient. Finiam verbis Baſi-
lii: *Scriptura divinitus inſpirata arbiter apud nos conſtituatur, &*
apud quos inventa fuerint dogmata ſermonibus divinis concordantia,
iſ illis omnino veritatis ſuffragium accedat.

Brevis ad *Struergov* Calixti Reſponſio.

D. Calixti Syllogiſmus eſt hic: *Q. particularis Eccleſiæ Do-*
ctor ſibi ſoli ſumit poteſtatem non tantum ſententias quas nullum
unquam univerſale vel particulare Concilium, nulla tota hodierna
particularis Eccleſiæ improbavit, Rejiciendi, ſed earum aſſertores
communione etiam ſua ſubmovendi, alioſq; ut idem ſecum faciant,
quibuscunq; poteſt modis adigit atq; impellit, iſ Spiritu Schiſmatico
ſe agitari oſtendit. D. Abrahamus Calovius id facit. E. Iſ ipſe ſe Spiritu
Schiſmatico agitari oſtendit. Major eſt manifeſta. Minoreſ
probat ejus Pſeudonymus Conſenſus, in quo (ut pauca è multis addu-
cam exempla) Rejicit 1. quod peccatum Originis formaliter ſit priva-
tio. 2. quod anima Humana hodieq; creetur à Deo. 3. quod ad articu-
los fidei non pertineant notiones divina, proprietates & relationes,
quo-

quomodo & à se invicem, & ab Essentia modaliter, sive virtualiter, sive alio modo distinguantur. 4. Quod Filius Dei in propria hypostasi ante incarnationem non apparuerit. 5. Quod Christus secundum humanitatem non sit omnipræsens. 6. quod imago Dei fuerit donum supernaturale. 7. Quod humana Christi natura extra Sacramentum minimè jungatur fidelibus quo ad substantia eorū peculiarem approximationem. Has sententias ostendat Calovius, vel ab univ. (ali, vel à particulari Concilio, vel etiam à tota hodierna aliqua particulari Ecclesia rejectas, earumq; assertores communionem esse submotos. Quod si autem id facere nequeat, agnoscat se Spiritu Schismatico, tunc, cum monstruosum istum consensus eniteretur abortum, esse agitatum.

Resp.

Paucis respondeo. Major, quam Calixtus manifestam esse ait, nulla vel probabilitatis specie se commendat, adeoq; eadem facilitate rejicitur qua asseritur. Si instituti & temporis ratio permitteret de necessitate & autoritate Conciliorum seu Univ. seu particularium, ut & de particularis Doctoris officio ac potestate differendi amplissima suppeteret materia. Sed quid opus est pluribus in re adeo manifesta? Major & falsa est, & illusoria videtur. falsa quia sine ullius Concilii autoritate convicti sunt à Particularibus Doctoribus hæreticorum prodigiosissimi ac monstruosissimi, Menandriani, Saturniliani, Basilidiani, Nicolaitæ, Gnostici, Carpocrasti, Cerinthiani, seu, ut alii vocant, Merinthiani, Nazarei, Ebionæi, solo verbi divini gladio, ut ex Irenæo, Epiphano, & Historia Ecclesiastica constat. Neq; tamen illos particulares Ecclesiæ Doctores Spiritu Schismatico agitados fuisse unquam judicatum est. Quid nostris temporibus à B. Luthero, particulari utiq; Doctore, factum sit, nemini ignotum esse potest. quid multis opus est? Antequam ulli Patres, ulla Concilia essent, judicarunt particulares Doctores de obortis hæresibus, & summo verunt hæreticos, cur non itaq; hodie possit eo modo judicari? in primis trecentis annis fortissime pugnatum est à particularibus Doctoribus contra varias hæreses ex solo Dei verbo usq; ad Constantini Magni & Nic. Concilii tempora, nec quisquam, opinor, est, qui particulares istos Doctores Spiritu Schismaticæ

matico agitato esse scripserit. Si itaq; nunc hæreses ad Scripturæ
folius iudicium non possunt agnosci, refelli, damnari, causam te-
netur dare D. Calixtus, cur priscis illis temporibus id factum sic
laudabiliter, quod nunc nequeat commode fieri. at nefingi quidē
ab eodem aliqua potest. Si solidam aliquam præstiterit erit mi-
hi magnus Doctor. Expendat Calixtus annon *particulares Docto-
res obstringat æque atq; concilia* disertum mandatum Rom. XVI. 17.
Precor autem Vos fratres ut observetis dissidiorum & of-
fendiculorum autores contra doctrinam quam vos didicistis, &
declinetis ab illis: ex quo patet regulam rejiciendi sententias &
excludendi assertores earundem non tam Concilia seu Universa-
lia seu particularia, quam ipsam S. Scripturam esse. Id diser-
tissime agnovit jam olim Vir in omni genere doctrinæ præ-
stantissimus *Basilius M.* (si non alius ejus scripti auctor est) in ascetis
def. 72. *Oportet auditores (quanto igitur magis Doctores
licet particulares?) Eruditos in Scripturis explorare ea, quæ dicuntur
à Doctoribus, & quæ consonant Scripturis admittere: quæ vero sunt
aliena abjicere, & τῶν τοιούτων διδάσκατον ἐπιμένοντας ἀποσπέ-
φειν σφραγιστέον: imo eos qui doctrinis ejusmodi addicti sunt,
aversari magna cum vehementia, quid potuit pro nobis dici di-
fertius? Nec solum falsa est major Calixti, sed & 2. illusoria vide-
tur esse. Vult videri Calixtus, se renunciare paratum esse si seu
universali seu particulari concilio, seu à tota hodierna aliqua
part. Ecclesia ipsius sententiæ improbarentur, cum tamen cer-
tissimum sit & exploratum fatis nullius *moderni Doctoris, formu-
læ Confessionis* eundem stare velle iudicio. Christus dicit Joh.
V. 47. *Si scripturæ Moysi non creditis, quomodo verbis meis crede-
tis?* Et nos putabimus Calixtum conciliis fidem habiturum, qui
vi dictorum Christi eo hæctenus redactus, ut ne hiscere potue-
rit, tamen non cessit? 1. Joh. V. 9. *Si testimonium hominum acci-
pimus, testimonium Dei majus est. Quomodo igitur is qui ipsius
Dei Testimonio non vult accommodare aures, minori homi-
num gloriam dabit? cujus hæc persuasio animum cepit: Neq; e-
nim catholica & apostolica fides* (verba sunt Dn. D. Horneji Disp.
Th. II. s. IV. θ. CLXXXIIX. p. 221.) *quippiam est, quod post multa de-**

*num secula ex Scripturis hic aut ille eruerit, nedum quod ex iis eru-
endum primum sit, sed doctrina quae cum scripturis, imo Ecclesia ipsa
cepit, & in orbem universum propagata est? Conf. Apol. Dorsch,
p. m. pro Judicio Argent. p. 58. §. 7. cui non infrequens plus quam
gigantæo ausu vetustissima Symbola, Patres convellere, quos ta-
men recentioribus omnibus Symbolis & formulis præfert? id
quod dudum à nostris ostensum. Hæc ad majorem, quæ quam
manifesta sit vel ex his abunde liquet. Limitanda itaq; hunc in mo-
dum fuerit. Quicumq; particularis Ecclesiæ Doctor sibi soli sumit
(absq; legitima vocatione) non tantum sententias, quas nullum
unquam universale, vel partic. Conc. nulla tota hodierna parti-
cularis Ecclesia (neq; ipsa Scriptura S.) improbavit, rejiciendi & c.
Sic concedo maj. sed minor est falsissima. 1. falsum est Dn. D. Ca-
lovium id egisse solum 2. magis falsum, si solus id fecisset, sine le-
gitima vocatione fecisse, hoc demum est sumere sibi potestatem.
Heb. V. 4. 3. falsissimum omnium sententias Calixti nec ab uni-
versali, nec à particulari Concilio, nec à tota hodierna part. Ec-
clesia nec ab ipsa Scriptura S. improbatas esse. Legantur modo
ea, quæ huc usq; contra Calixtinos scripserunt non solum Magn.
Dn. D. Calovius, sed & integra Collegia, & res erit expedita,
stant ea omnia in hunc usq; diem in concussa, nec quidquam vel
à sene mortuo, vel à juniore Calixto solidi responsum est. Exa-
men ejus ἀποκατάθετον esse hominem in plurimis locis haud
obscure innuit. Id quod Max. Reverendus & Exc. Dn. D. Ægidius
Strauchius in Refutatione ostenditur est. Mitto Calumniam de e-
mentito & Pseudonymo Consensu.*

1. Peccatum Orig. formaliter non privationem solam, sed &
positivum quid sensu Theologico esse, non particularis alicujus
Doctoris, sed universæ verè Lutheranae Ecclesiæ est dogma, in
F. C. aliisq; libb. Symb. contentum v. Harmon. Calixtino Hæreti-
cam à p. 357. usq; 460.

2. Animam per Traducem propagari, non creari, non Part. D.
Calovii sententia est, sed ipsius S. Scripturæ, antiquorum Do-
ctorum & plurimarum Ecclesiarum Lutheranarum v. Harm. Ca-
lixti. Hæc. à p. 461. usq; 572. Dorsch. p. m. Pent. in append. B. Danb.
Præceptoris mei desideratissimi Hodosophia p. 284. usq; 288.

3. Ad

3. Ad fidei art. pertinere *notiones divinas*, & distinctionem
Trium personarum denuo in locis à Trium Collegiorum Con-
sensu cit, publicis utiq; symbolis insertis, qua rem habetur. conf.
Harm. Calixt. Hær. p. 812.

4. *Filium Dei apparuisse* in V. T. non particularis tantum D.
Calov. sed sanctissimorum Patrum & antiquissimorum sententia
est, & *Concilii Antiocheni* v. Harm. à p. 950. usq; ad p. 7009. Jud.
Argent. S. III. C. II. Apol. Dorsch. p. 50. seqq.

5. Non Part. Ecclesiæ Doct. sententia est Christum secundum
H. N. esse omnipræsentem, cujus contrarium in F. C. rejectum
v. Scept. B. Schrœd. Harm. Calixt. Hær. p. 31. fs. Hodos. B. Danh.
à p. 556. usq; ad 568. Pentad. Dorsch. super Ps. CX.

6. *Justiniam Orig.* non supernaturale donum esse sed subje-
ctive, perfective, transitive naturale itidem non unius Calovii,
sed scripturæ ipsius (quam omisit Calixtus) & sanctorum P. P. &
Lutheranorum Symbolis consentanea sententia v. quid habend-
um sit de hac controv. in Harm. Calixt. Hær. à p. 279. usq; 356.
Ampl. Dn. D. Sebast. Schmid. Præsidis Arg. gravissimi, Dn. Patroni
atq; Præcept. venerandi Tr. de Imag. Dei p. 417. fs.

7. De *Conjunctione fidelium* & peculiari approximatione ipsius
Hum. naturæ Christi extra Sacramentum, quid secundum du-
ctum S. Scripturæ tenendum sæpius à nostris ostensum, v. Brev.
Hulsemanni p. 216. Conf. Calixt. Gewiß. Wurm. Luth. T. I. Jen.
Lat. de Libert. Christ. f. 466. Cur autem Calixtus non caput *de ne-
cessitate B. O. in hunc catalogum retulit?* forte quia novit anathema-
te Apostolico id ipsum dudum damnatum fuisse Gal. I. 8.

Jam si D. Calixtus suas sententias non rejectas à nobis am-
plius cupit, expediat se ex illis omnibus, quæ ab Ampliss. Maxi-
meq; Rev. Dn. D. Calovio in cc. allata sunt, necessum est. Quod
si autem id facere nequeat, agnoscat se VERE Schismaticum esse,
qui contra sacrosanctum Dei verbum, & communes libb. Symb.
detestabiles sententias foveat & propugnet, infelicissime quam-
vis; aut det Deo gloriam, id quod omnino æquum est, & recantet
prædictos errores. Deus nos in Veritate conservet & Ecclesiam
ab imminentibus corruptelis vindicet, per vulnera filii sui salva-
toris Unici, Amen! Cui etiam sit laus & honor, & glo-
ria in seculorum secula Amen!

CLARISSIMO ET PRÆCELLENTI
VIRO
DN. M. CAROLO LUDOVICO

Stromeyer /
VINDICIARUM HARUM AUTORI,
AMICO DILECTO
gratulatur

ABRAHAM CALOVIUS.

Sic veritatem masculè
Tuere sacræ paginæ,
Virtute Maeste plurimâ!
Sic vaniores Siculis
Gerris refelle noenias,
Ut sola Verbi veritas
Triumphet, ac sophismata
Confusa turpit udini
Sux relicta moereant.
Mittamus istos Hybridas,
Qui veritatem adulterant,
Magis magisque insaniunt,
Cauteriatâ prupulam
Jam nota conscientia.

Calumniari proprium
Id restat / ipsis unicum.
Quod oppidò rursus docet
Ovum malum corvi mali.
Pagella nulla crimine
Tanto vacare visitur,
Quas obstetricante edidit
Aut suggerente, veriùs,
Dæmonio. Sanam, precor,
Da CHRISTE mentem, reprobo
Ne traditi sic sensui,
Calumniarum principis
Pænam luant tristissimam!
Triumphet una veritas!

Emendenda.

*Th. I. n. III. sub fin. B. 2. verba quæ in margine posita sunt, debent inter-
feri seqq. qua Cons., qua specie prob. N. IV. sub fin. pro demon-
stratioe, l. demonstratione. Th. II. n. I. pro idolatria, l. idololatria.
Reliqua B. L. ipse pro sua dexteritate corriget.*

os(o)de

I
O
bo
era
011

05 A 338

ULB Halle 3
004 210 344



1073





EXAMEN APOLOGETICUM
CASTIGATIONIS CALIXTINÆ

institutum

Pro Disputatione De DEO UNO

VIRI

Max. Reverendi, Amplissimi atq; Excellentissimi

DN. JOHANNIS *Deutschmann* /


S. S. THEOL. D. & Prof. Publ. in celeberrima Leucorea
celeberrimi, Alumnorum Elect. Ephori Gravis-
simi, h. t. DECANI.

M. CAROLO LUDOVICO
Stromeyer / Ulmensi,

Ovvenus.

Nec TE dicentis moveat reverentia, sed quid
dixerit, attendas qua ratione probet.

1. Tim. VI. 3. 4.



WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS BORCKARDI. Acad. Typogr.

Anno M. DC. LXVIII.

